15.

HISTORIA EPISCOPORVM NVMBVRGENSIVM

A PRIMA EPISCOPATVS ORIGINE AD PRAESENTEM STATVM REPETITA.

QVAM

PRAESIDE

CASPARE SAGITTARIO, D.

HISTORIARVM PROF. P. CELEBERRIMO

AD D. XVII. OCTOBR. A. M DC LXXXIII.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI EXPONIT

Hans Friedrich von Werthern

EQVES THVR.

HALAE, REC. A. O. R M DCC XXXVI.

15.

Digitized by Google

Digitized by Google

I. N. D.

§. I.

NVMBVRGENSIS Epiſcopatus origines a Paulo Langio aliisque ſcriptoribus ad Ottonem I. Germanorum Regem ac Imp. Romanum referuntur, (1) qui ſede ſacra Cizæ (2) conſtituta primum Cizenſibus Epiſcopum dedit Hugonem, cui anno ıɔcccclxviii. contigit uno 968.
eodemque die (3) cum Burchardo Miſnenſi, Boſone Mersburgenſi & Vdone Havelbergenſi Epiſcopis per Adelbertum Magdeburgenſem Archiepiſcopum conſecrari.

(1) Sunt qui Epiſcopatum Cizenſem a Carolo M. fundatum ajunt: quos refellit Gryphiander *de Weichbildis Saxonicis cap. XXIX. §. 4.* Ottonem M. etiam pro conditore Epiſcopatus habet ipſe Numburgenſis Epiſcopus Julius Pflugius in ſcriptis Johanni Friderico Electori Saxoniæ oppoſitis.

(2) Epiſcopatus *Citienſis* meminit Otto I. Imp. in donatione quadam monaſterio Ratisb. facta & ab Henrico Meibomio edita in calce Witichindi monachi Corbejenſis pag. 130.

Digitized by Google

(3) Ita P. Langius in *Chronico Citizenſi.* Sed ex Ditmari Merſburgenſis Epiſcopi *Chronico* id non colligas, in quo hæc habentur lib. II. pag. 29. *Archiepiſcopus - - in his feſtivis diebus conſecravit Boſonem, Merſeburgenſis Eccleſiæ paſtorem, Burckardum Miſnenſis Eccleſiæ proviſorem, Hugonem Epiſcopum Cizenſem, Havelburgenſis Eccleſiæ cuſtodem his Tudonem cooptavit prius conſecratum.* Sic Auctor de Fundatione Archiepiſcopatus Magdeburgenſis a Meibomio editus cum Witichindo pag. 111. *Fuit prorſus generale tripudium, ubi ad confirmationem ſui idem Archiepiſcopus in præſentia eorundem nativitatem Domini ſecum celebrantium, Boſonem monachum Merſeburgenſi, Burchardum Miſnenſi, Hugonem Cyzenſi eccleſiis primos Epiſcopos ordinavit.* Langio tamen aſſentitur Gobelinus *Coſmodromii ætat. VI. cap. XLVIII.*

§. II.

I. HVGO ille *profundæ humilitatis, ſummæ devotionis ac admirandæ doctrinæ* elogio celebris, (1) velut paſtor optimus ac peritus paterfamilias, novam Eccleſiæ ſibi commiſſæ plantationem ſancta converſatione & cœleſti doctrina jugiter corroborando ſatagebat. Novellum quoque clerum juxta ordinem canonicum pie ac honeſte vitam agere edocuit, & cetera quæ ad divinum cultum & eccleſiaſticum pertinent ornatum ſolicitius diſponens, populum denique ſubjectum in Chriſtiana religione nondum ſatis confirmatum tam doctrina quam exemplo erudire ſtuduit. (2) Altero ab exceſſu Ottonis I. anno grave ſubiit infortunium: ſiquidem Cizenſi metropoli a Dedone Bohemorum Duce capta & direpta inde fugatus & expulſus eſt. (3) Quo anno redierit Cizam, ac porro vita fuerit functus, incertum. Conſtat tamen obiiſſe adhuc ſuperſtite Alberto Magdeburgenſi

Digitized by Google

genſi Archiepiſcopo, (4) qui vita exceſſit anno ıↃccccLxxx. 980.

(1) Langius p. 759. (2) Langius p. 766. (3) Ditmarus lib. III. p. 56. Gobelinus *ætat. VI. cap. XLIX. p. 204.* Langius *p. 766.* qui porro ad *Annales Magdeburgenſes* provocat. (4) Langius p. 766.

§. III.

Atque idem ille Adelbertus FRIDERICVM Hugonis ſucceſſorem, *virum multarum virtutum & præclaræ vitæ* (1) ordinavit. Hic Fridericus Præſulum illorum unus eſt, cui Giſilerus Magdeburgenſis Archiepiſcopus Adelberti ſucceſſor partem bonorum Eccleſiæ Mersburgenſis, quam peſſimo exemplo cupiebat deſtruere, commiſit. (2) II.

(1) Langius *p. 767.* (2) Ditmarus *lib. III. p. 55. 56.* Langius *p. 767.* Henr. Meibomius *in Chron. Bergenſi p. 6.*

§. IV.

HVGO II. *tertius Cizenſis Eccleſiæ proviſor* [ſic eum vocat Ditmarus, (1) non primum Hugonem: uti putat Petrus Albinus, (2) eundemque ſecutus Adrianus Beierus] (3) Ottonem III. Cizam venientem ſplendide & magnifice ſuſcepit. (4) Idem anno ıↃccccxcıı. una cum Willigiſo Moguntino Archiepiſcopo & Giſilero templi Halberſtadenſis dedicationi interfuit. (5) III. 992.

(1) Ditmarus *lib. IV.* (2) Albinus in *Chron. Miſnenſi tit. XXI. p. 284.* (3) Beierus in *Geographo Jenenſi cap. X. p. 207.* (4) Ditmarus *lib. IV. p. 83.* Langius *p. 768.* (5) Langius *d. l.*

§. V.

HILDEWARDVS (*Hillewardus*) Hugonis ſucceſſor & ipſe a Giſilero ordinatus, *ingens amator* IV

Digitized by Google

fuit cleri, ſaluti commiſſi gregis vigilanter inſiſtens, multa temporibus ſuis bona faciens & conſtituens, pauperum pater & egenorum conſolator pientiſſimus ſemper exiſtens. (1) Cur *Pinguis* cognomen ipſi tribuat Albinus, (2) neſcio. Ac idem porro notat pro Glisbergenſi Comite haberi: id quod diſerte affirmat Beierus. (3) Optime hic Epiſcopus de Eccleſia Mersburgenſi meruit, cui ab Henrico II. Germaniæ Rege, & Tagenone Magdeburgenſi Archiepiſcopo perſuaſus omnia ea reſtituit, quæ quondam per illegitimam Giſileri donationem Fridericus acceperat. (4) Eidem ſive Egidonem tertium Miſnenſis Eccleſiæ Epiſcopum
1015. anno CIↃXV. Lipſiæ mortuum in ſupremo templo
Miſnenſi honorifice ſepelivit. (5) Hunfridum Magdeburgenſem Archiepiſcopum Diterici ſucceſſorem
1023. conſecravit anno CIↃXXIII. (6) Idem anno CIↃXXVIII.
1028. Synodo Francofurtenſi interfuit, quam Aribo Archiepiſcopus Moguntinus congregavit in cauſa Hildeſienſis Epiſcopatus, quem tunc regebat Gothardus ab Henrico II. conſtitutus. (7) Hujus Epiſcopi
1029. temporibus anno CIↃXXIX. ſedes Epiſcopalis Ciza
Numburgum eſt translatus: qua de re in *Hiſtoria Eccardi II. Miſniæ Marchionis* ex incorruptis Numburgenſis archivi monumentis curate diximus. (8) Ab eodem Hildewardo Ditmarus Mersburgenſis Epiſcopus parochiam duarum urbium Tribni & Tuchus cambio trium villarum redemit. (9)

(1) Langius *p. 769.* (2) Albinus *p. 284.* (3) Beierus *d. l.* (4) Ditmarus *lib. VI. p. 123.* Langius *p. 769.* (5) Ditmarus *lib. VII. p. 197. ſeq.* (6) Langius *p. 771.* (7) Idem *ibid.* (8) *ſect. XI.* (9) Auctor vitæ Ditmari Epiſcopi Mersburg. in *edit. Maderi pag. 771.*

§. VI.

Hildewardum excepit CADALVS, gente V.
Langobardus, qui & *Kadalo, Cathelo, Kalo, Kazzo, &*
Kaſſo nominatur. Anno CIƆXL. interfuit dedicatio- 1040.
ni Eccleſiæ novæ monaſterii Hirſchfeldenſis & cryptæ ejusdem, præſente Heinrico III. & pluribus Epiſcopis. (1) Ab eodem Heinrico III. accepit villam Kuſenci in pago Zurba. (2) Beierus in *Geographo Ienenſi* (3) obſervat, hunc Epiſcopum Jenenſes cives ſingulari privilegio reddidiſſe immunes a vectigalibus in mercatu Numburgenſi. Quod ſi ita eſt, nos ta-
men fallit epocha, quam ponit annum CIƆLV. quo 1045.
jam florebat Eppo. Anno CIƆXLV. cum ob Eccleſiæ ſuæ negotia Romam adiiſſet, ibidem morbo correptus obiit. (4)

(1) Vid. Fragmentum de inſtitutione Hersveldenſis Eccleſiæ in *Antiquitatibus Brunſvicenſibus* Maderi *p.* 157. P. Langius *p.* 772. Tangit hanc dedicationem Lambertus Schafnaburg. in *Chron.* ad ann. 1040. (2) Matthæus Dreſſerus *Iſagoges Hiſtor. millenario VI. part. II. p.* 256. (3) *cap. X. p.* 210. (4) Lambertus *d. l.* Langius *p.* 773.

§. VII.

BVRCHARDVM ſive *Buſſonem* hic inſercit VI.
Albinus, (1) ab aliis, ut ipſe ait, omiſſum. Dreſſerus, (2) quem in eo ſequitur Beierus, (3) eum ante Cadalum ponit, ac ab Henrico III. prædium Kizerin in pago Witau accepiſſe ſcribit.

(1) *p.* 284. (2) *p.* 256. (3) *p.* 204.

§. VIII.

EPPO, aliis dictus *Eberhardus*, ab Hunfrido VII.
Magdeburgenſi ordinatus, *vir prudens fuit & facundiſſi-*

diſſimus, & in exequendis rebus arduis ſtrenuus atque magnificus: (1) ac id propter Regibus & Principibus acceptus, potiſſimum autem Henrico IV. fuit in deliciis.
1054. Anno CIƆLIV. monaſterii Gozecenſis a Friderico Saxoniæ Palatino conditi dedicationem ſua præſentia ornavit. (2) Ceterum Epiſcopus videns ſe ab Heinrico Rege æſtimari ac diligi, ejusdem rebus ſummopere ſtuduit, nec Papali excommunicatione nec Principum Saxonicorum defectione territus. (3)
1061. Anno CIƆLXI. Heinricus Rex Epponem cum Wilhelmo Thuringorum Marchione lectaque Bojaricæ militiæ manu miſit in Vngariam, ut ſuppetias ferrent Andreæ Regi, quem frater ejus Bela ſolio regali deturbare nitebatur. Sed Epiſcopus & Marchio Vngariam ingreſſi, non exſpectato Bojemorum Duce (hic & ipſe juſſu Heinrici expeditionem in Vngariam moliebatur) cum Bela ſigna conferentes infinitam multitudinem Vngarorum peremerunt. Quod vero Vngari ad ferendum ſuis auxilium frequentes undique confluxiſſent, videntes legati Regis tantæ ſe multitudini numero & viribus impares eſſe, finibus hoſtium excedere volebant. At illi loca omnia, per quæ exeundum, occluſerant, tum ne quid commeatus in via reperiretur, providerant. Cumque inſuper abeuntes crebra incurſione infeſtarent, & illi ſemper periculum virtute propulſantes magnas hoſtium ſtrages darent, tandem diutina cæde exhauſtis viribus Andreas equo forte excuſſus pugnantium pedibus eſt conculcatus, Wilhelmus Marchio fame magis quam ferro expugnatus ſe dedidit, Eppo Epiſcopus captus eſt. Sed cum brevi poſt Wilhelmo deſpon-

Digitized by Google

ſponderetur Belæ filia, (*Jojadam* vocat Lambertus) non ipſe modo cum gloria fuit dimiſſus, ſed ut Eppo quoque fortunæ ſuæ comes liberaretur, perfecit. (4) Anno CIↃ LXXIII. Eppo noſter ſynodo a Sigfrido Archiepiſcopo Erfurti ob decimas Thuringicas indictæ adfuit, (5) conatibus Archiepiſcopi, quas modis omnibus Henricus Rex promovere ſtuduit, nimiopere favens. Sed quod alii Principes Henrico adverſarentur, Eppo ceterique in communem ſententiam qui concedere nolebant, a terris ſuis effugati ad Regem ſe contulerunt eique toto belli tempore adhæſere: (6) quorum conſilio & prius tranquilla, & nunc turbata Rep. Henricus omnia faciebat. (7) Quandoquidem autem ab impugnandis Saxonibus Henricus non deſiſteret, Eppo aliique, qui propter impenſius ſtudium regiarum partium fugati, poſſeſſionibus excluſi, pluribusque ignominiis deformati fuerant, unanimes Regem circumſtitere, eundem obſecrantes ac obteſtantes, ut ſi minus propriæ, ſaltem ipſorum calamitatis miſereretur, qui ſuis ſedibus odio nominis ejus expulſi anno jam prope integro per omnes miſerias vitam traxiſſent; fidem ſe ei in adverſis intemeratam ſervaſſe, & quæcunque præter exſpectationem accidiſſent, communicato labore toleraſſe: nunc quoniam Deus tantas rerum procellas ſedaſſet, gauderet ſorte ſua, & ne deinceps tale naufragium incideret, tuta nunc ſtatione locatus provideret. Quod ſi res jam in tranquillo ſitas, & ad honorem ejus ex ſententia compoſitas denuo interturbare atque miſcere vellet, ſe proximis malis jam ad extrema defatigatos deinceps loco & tempori conceſſuros, & popularibus ſuis, ne

1063.

Digitized by Google

iterum patria pellantur, obnoxios futuros. (8) Si igitur motus pro tempore fuerunt compoſiti. Anno
1076. CIↃ LXXVI. Eppo Heinrici Regis nomine ad Ottonem Bojariæ Ducem legatus ivit, eundemque convenit Salfeldii. Quid cum eo ſermocinatus fuerit Otto, pluribus perſequitur Lambertus. (9) Eodem anno Heinricus Saxonum & Svevorum legatione infeſta omnia ipſi nunciante territus Epponem aliosque Epiſcopos, quorum opera & conſiliis hactenus locupletiſſime erat uſus, caſtris apud Oppenhemium egredi juſſit: (10) ac
1077. porro inter illos fuit, qui anno ſequenti eluſis cuſtodibus Heinrici cluſas obſidentibus in Italiam pervenerunt, & Gregorio VII. Papa Canuſii reperto, ut ab excommunicatione ſolverentur, nudis pedibus ceteroque habitu ad movendam miſericordiam compoſito ſuppliciter poſtulabant. (11) Cum autem ipſe Rex Heinricus indigne admodum habitus duriſſimas quantumvis conditiones admiſiſſet, Epiſcopus noſter una cum aliis ſacri & ſecularis ordinis Principibus, ad ſanctas reliquias jurejurando confirmarunt, facturum eſſe Regem, quæ pollicitus, nec aliqua rerum aſperitate vel caſuum varie ſuccedentium mutabilitate ab ſententia deducendum. (12) Sic pace inter Regem & Papam utcunque confecta Eppo præmittitur, ut eos qui cum Rege excommunicato prius anathemate quam ſolutus communicaverant, nomine Papali abſolveret. Hic dum veniſſet, & cauſam Italis expoſuiſſet, vehemens in eum ira & indignatio coorta eſt. Fremere nimirum omnes & ſævire verbis ac manibus cœperunt, Pontificiæ legationi irriſoriis exclamationibus obſtrepere, convicia & maledicta quæ furor ſuggeſſiſſet,

Digitized by Google

geſiſſet, ſpargere: ſe excommunicationem Papæ nihili æſtimare, quem ipſum omnes Italiæ Epiſcopi juſtis de cauſis jam pridem excommunicaſſent, qui Papalem ſedem per ſimoniam occupaſſet, homicidiis cruentaſſet, adulteriis aliisque capitalibus flagitiis polluiſſet: Regem vero ſecus ac deceat egiſſe, crimenque gloriæ ſuæ intuliſſe nunquam abolendum; quod homini hæretico & probris omnibus infamato majeſtatem regiam ſubmiſerit, & quem juſtitiæ patronum legumque eccleſiaſticarum vindicem ſibi paraſſent, is fœdisſima ſubjectione ſua fidem catholicam, auctoritatem Eccleſiæ, dignitatem Reip. prodiderit: ſe in ejus ultionem quas potuerint Papæ injurias irrogaſſe, & nunc (quod dictu turpe) ſe in mediis perturbationum fluctibus relictis, ipſum ſibi conſuluiſſe, & cum hoſte publico privata neceſſitudine in gratiam rediisſe. (13) Ceterum poſtquam Italorum indignatio deferbuit, Eppo ac ceteri Epiſcopi propter excommunicationem Regis antea ab eodem ſegregati unanimes rurſus ad illum confluxere, eidemque individui peregrinationis comites deinceps adhæſere. (14.) Non diu poſt Eppo noſter dum in diœceſi Würtzburgenſi (ſic interpretor *epiſcopium S. Kiliani* in Brunonis *Hiſtoria Belli Saxonici*) (15) quendam *rivum forti ſedens in equo tianſiret, quem quilibet pedes ſine periculo tranſire poſſet, ubi nec timor ullus fuit, equo cadente moriens interiit: S. Kiliano* (ita judicat Bruno) (16) *ſic diſponente, ut qui ejus urbis lentus incubator injuſte vinum ſuum bibebat, aquam quoque ſuam juſte bibens ultra vinum non quærat.* Ac addit Bruno ſumme ipſi & omnibus Henrici IV. fautoribus infenſus: *quod nobis inconciliabilis permanſit, Deo jure-*

conſlictatus ab hac vita migravit. In choro Numburgenſis eccleſiæ ſepultum tradit Dreſſerus. (17) Accepit hic Epiſcopus ab Henrico III. & IV. Imperatoribus duo oppida Grimmi & Oſzechs (Oſchatz) item Kochedez, Liſenig, (Leißnick) Strele & Boruz in pago Talmenca. (18) Vacante ſede Fridericus Abbas Gozecenſis ex Comitibus Saxoniæ Palatinis Abbatiam S. Georgii in Numburg a Rudolpho Svevo novo Germaniæ, qui Heinrico IV. oppoſitus erat, Rege regendam ſuſcepit. (19)

(1) Langius *p. 773.* (2) Libellus de fundatione monaſterii Gozecenſis a Madero cum *Chronico Montis-Sereni* editus *pag. 209. ſeq.* Langius *p. 773.* (3) Langius *p. 774.* (4) Prælii ſummam debemus Lamberto Schafnaburgenſi, quem bonam partem exſcribit Langius *p. 774. 775.* (5) Lambertus *p. 190.* (6) Idem *p. 193.* (7) Idem *p. 194.* Langius *p. 776.* (8) Lambertus *p. 205.* (9) *p. 241.* (10) Idem *p. 205.* (11) Idem *p. 248.* (12) Idem *p. 249.* (13) Idem *p. 250.* (14) Idem *p. 251. 152.* (15) Bruno *in Hiſt. Belli Saxonici* apud Freherum *Tom. I. Scriptor. German.* pag. 131. Apud Langium verba tanquam ex *Magdeburgenſibus Chronicis* deſumta comparent hunc in modum: *Ut qui ejus rebus violentus incubuerat, vinumque illius ſæpe injuſte biberat (aquam quoque ſuam juſte bibendo ultra merum non quærat.* (16) apud Langium *d. l.* (17) *p. 256.* (17) Dreſſerus *d. l.* Quis vero *pagus* ille pluribus docet Heinricus Meibomius *de Pagis Saxoniæ pag. 94.* (19) Auctor de fundatione Gozecenſi *p. 216.* & ex eo Langius. *p. 777.* apud quem tamen Scriptoris nomen excidit. Et alia ejus generis in Langio obſervavi, ut dolendum ſit 'a n bonum ſcriptorem tot lacunis eſſe diſtinctum.

§. IX.

VIII. Epponi tam miſere defuncto ſucceſſit GVNTHERVS Geronis Comitis ex Bertha filius (1) per Hartwicum Magdeburgenſem Archiepiſcopum ordinatus,

Digitized by Google

natus, qui in annum usque CIↃLXXXVIII. Eccleſiæ 1088.
cum ſingulari laude præfuit, (2) eique bona quædam in Petersberg, Numleben, Schafstet & Holfeld dedicavit. (3) Ab auctore Apologiæ pro Henrico IV. inter illos refertur Epiſcopos, *qui aut ſugiendo Epiſcopatus ſuos dimiſerint, aut eos per bella maxima ſibi vindicando uſurpaverint, ne communicarent eis, qui communicant Catholico Imperatori vel ſedi Apoſtolicæ.* (4)

(1) Appendix Chron. Montis Sereni *p. 203.* (2) Langius *p. 778.* (3) Dreſſerus *p. 257.* Beierus *p. 212.* (4) Exſtat hoc ſcriptum apud Freherum *Tom. I. Scriptor. Hiſtor. German.* ubi vide *p. 198.*

§. X.

Hinc clerus congregatus, quem diu ante exoptaverat, Fridericum Gozecenſem Abbatem concordibus ſuffragiis elegit, electum cum ingenti tripudio in cathedram epiſcopalem Cizam deduxit. At poſtquam ex Eccleſiæ illius impenſis neceſſaria conſtituerat, aſſumtis ex ſacro & civili ordine ſelectis viris ad Henricum IV. pro expetenda inveſtitura properat. Hic apud Veronam nobilem Italiæ urbem tunc temporis moratus cauſam itineris poſtquam accepiſſet, ægre admodum tulit factam absque conſenſu ſuo Epiſcopalem electionem. Quamobrem legatis pro novo Epiſcopo verba facientibus in hanc ſententiam reſpondit: *Quandoquidem contra anteceſſorum noſtrorum decreta Auguſtorum ad injuriam Romani Imperii qualemcunque perſonam eligere preſumſiſtis, tam regnum, quam nos offendiſtis. Pro eo quidem ſecundum leges Auguſtas pœnas temeritatis dare merebamini. Sed ne poteſtate potius uti videamur, quam pietate, de*

electione quidem facta vobis ignoſcimus, eandem tamen irritam prorſus cenſemus. Quod non ad injuriam vel Eccleſiæ veſtræ vel electi fieri noveritis, verum ne in regno exempla ſitis talis ac tantæ præſumtionis. Hoc Cizenſes perturbati reſponſo, non tamen ab incepto deſiſtebant, ſed a feſto B. Andreæ usque ad Natalem Domini pro Friderico ſumma cum fide ac induſtria laborabant. Et viciſſent ſua conſtantia obſtinatum Regis animum, niſi divinæ providentiæ aliter placuiſſet. Enimvero in ipſo Dominicæ nativitatis feſto legati Hirſchfeldenſis monaſterii adventantes Abbatem obiiſſe nunciabant, ac pedum paſtorale novo Abbati offerendum in Regis manus reſignabant. Hic honeſtam indeptus occaſionem, qua Cizenſem electionem reſcinderet penitus, omnem navabat operam, ut Fridericus Hirſchfeldenſibus præficeretur. Sed is primum refragari, nec duobus ſe cœnobiis rite præfuturum conveniens aſſerere: tandem tamen & Regis voluntate & Principum multorum ſvaſu victus aſſenſit, ac Cizenſibus quoque legatis ipſum comitantibus Hirſchfeldiam perrexit, ac per Fuldenſem Abbatem introductus eſt. Sed cum jam ſenio gravatus nunc laboris, nunc longioris itineris tædio afficeretur, utrumque cœnobium regere detrectans, Hirſchfeldenſem Abbatiam ſtatuit relinquere. Quod tamen Regis offenſam timeret, hoc in Numburgenſi San-Georgiana fecit, ubi ex ipſius conſilio electus eſt Conradus ex gente Bavarica pridem monaſterii Præpoſitus: quo tamen poſt aliquot annos Abbatiam cum dedecore deſerente eandem recepit Fridericus,

Digitized by Google

ricus, & ad obitum uſque, qui contigit anno cIↄ xcviii. 1098.
retinuit. (1)

(1) Omnem hanc hiſtoriam debemus Auctori Chronici Gozecenſis *pag. 222. & ſeqq.* ex quo ſua contraxiſſe videtur Langius *pag. 779.*

§. IX.

Sic igitur reprobato Friderico Cizenſes Epiſcopum ab Henrico IV. acceperunt WALRAMVM IX.
(quidam *Waltramum*, nonnulli *Walrabonum* vocant) qui ab Hartvico Magdeburgenſi Antiſtite ordinatus per annos XXI. diœceſi præfuit. (1) Hic quod promotori ſuo Henrico Regi impenſe faveret, per litteras Ludovicum Comitem Thuringiæ monuit, ut relictis adverſariorum partibus Henricianas amplecteretur. Sed has cum accepiſſet Comes, per Stephanum Præſulem Halberſtadenſem reſponſorias confici curavit, in quibus inter alia Walramum *hæreticum & ſimoniacum Epiſcopum* redarguit. Vtramque epiſtolam nec plane tamen integras ſervavit Dodechinus, Abbas monaſterii S. Dyſibodi in *Appendice Chronicorum Mariani Scoti* ad annum cIↄ xc. ubi tamen Wal- 1090.
ramus falſo appellatur *Magdeburgenſis Eccleſiæ antiſtes.* Atque hinc forte nata eſt conjectura, Walramum noſtrum auctorum eſſe Apologiæ illius pro Henrico IV. quæ inſcribitur: *De unitate Eccleſiæ conſervanda & ſchiſmate, quod fuit inter Henricum IV. Imp. Rom. & Gregorium VII. Pont. Max.* quod in Fuldenſi Bibliotheca repertum primus edidit Vlricus Huttenus, ac poſtea *Tomo I. Scriptorum Hiſtoriæ Germaniæ* inſeruit Marquardus Freherus. Anno cIↄ xcii. fundationi 1092.
cœnobii Pegavienſis, cujus conditor erat Vipertus

Luſa-

Luſatiæ Marchio & Groicenſis comes, ac porro ejusdem dedicationi ab Hartvico Magdeburgenſi factæ interfuit. (2)

(1) Langius *p.779*. (2) Videatur libellus de fundatione cœnobii Bigaugienſis cum Chronico Montis-Sereni a Madero editus *p.247.ſeq.* Sifridus Presbyter Miſnenſis *Chron. lib. I. ad an. 1091.* Erneſti Brotuſii *Hiſtoria Viperti Marchionis* Lipſ. 1556. edita.

§. XII.

X. Anno Domini CIↃ CXI. regnante Henrico V. DI-
1111. TERICVS ſive *Theodericus*, ex ſtemmate Wittikindeo [ſi Rivio, quem hanc in rem laudat Albinus, (1) habenda fides] cum gaudio & applauſu totius cleri & populi præficitur, ac ab Adelgoto Magdeburgenſi Archiepiſcopo conſecratur. *Fuit iſte*, ut Langius ex antiquis hiſtoricis teſtatur, (2) *vir apoſtolicus, & apprime doctus, integerrimæ vitæ & converſationis ſanctæ, Deo & hominibus acceptiſſimus & gratiſſimus, ſummus Dei cultor, & zeloſus orthodoxæ fidei propugnator, ſtrenuusque ac rigidus ſacrorum canonum defenſor, & potisſimum contra ſimoniacos nec non ſchiſmaticos, qui ſuo tempore Chriſti turbabant ſcindebantque Eccleſiam, turris validiſſima.* Gliſcebat hoc tempore diſſenſio inter Heinricum Regem & Vipertum Marchionem in apertum bellum erumpens: in quo Vipertus Junior, quod a Rege Numburgenſem urbem in feudum ſibi datum iri ſperaret, Patrem ipſum perſecutus eſt: ad quem tamen ſpe ſua fruſtratus, cum alius Numburgum accepiſſet, revertitur. (3) Habebat hic Epiſcopus in familia ſua Slavum quendam, hominem illiteratum, ſed in S. Mariæ cultu ſumme devotum:

tum: qui juſſu beatæ virginis Epiſcopum monuiſſe fertur, ut clauſtrum ſuo honori conſecrandum non longe a Cizenſis oppidi pomœriis in colle quodam conſtrueret. Nomen loco fuit Boſaugia, non, ut quidam antumant, a malignitate loci, ſed a Boſone primo Antiſtite Merſeburgio, qui Berga ad Epiſcopatum vocatus ibidem ſacellum exſtruxit. (4) Di- 1114.
tericus autem tertio regiminis ſui anno ædiculam ligneam in hoc colle erexit, monachis ad S. Benedicti regulam adſtrictis ſub Eckenberto, Abbate primo, quem ex monaſterio Hirſaugienſi acciverat. An- 1115.
no ſequenti novam ibidem condidit baſilicam, quam anno CIↃCXXII. conſummavit, duoque altaria, alterum ad dextram, in Petri & Pauli, alterum ad ſiniſtram in Philippi ac Jacobi Apoſtolorum honorem dedicavit, ac porro ipſum monaſterium variis ac luculentis prædiis dotavit. (5) Interea Adelgotus 1117.
Magdeburgenſis, Reinhardus Halberſtadenſis Epiſcopi, Fridericus Comes Palatinus, Vipertus junior & Ludovicus Thuringiæ Comes Numburgum obſidione vallarunt, quam ſtrenue defendebat Heinricus quidam dictus *cum capite.* Sed cum irruptione facta pabulantibus inſidias tenderet, captus & ad Epiſcopos perductus eſt. Ex eo deditionem faciunt Numburgenſes. Quæ res compellit Henricum V. ut Vipertum ſeniorem alioſque illuſtres, quos tum habebat captivos, dimitteret. (6) Sed ut 1123.
ad Epiſcopum revertamur, is anno CIↃCXXIII. a pagano quodam Bennone, in Eccleſia Boſauginenſi ante primarium altare procumbens cultello latenter perfoſſus exacto triduo animam efflavit, ac in loco

 cædis

cædis ſepultus eſt. (7) Epitaphium tumbæ inciſum his verſiculis fuit conceptum. (8)

Annos millenos centum tres bis quoque denos
Collige poſt Chriſtum, titulum qui colligis iſtum
Tunc obiit ſedis noſtræ fundator & ædis,
Sanguine perfuſus bravio certaminis uſus.

Ipſe ſicarius mox vivus a dæmone abreptus nusquam comparuiſſe fertur. (9)

(1) Albinus in *Chron. Miſnenſi p. 284.* (2) Langius *p. 781.* (3) Auctor de fundatione Bigaugiæ *p. 251.* (4. & 5.) Vid. hiſtoria fundationis monaſterii Boſaugienſis a Madero in calce *Chronici Montis-Sereni* edita *p. 284. ſeqq.* Langius *p. 781. ſeqq.* Meibomius in *Chronico Bergenſi p. 50.* (6) Chron. Bigaugienſe *p. 255.* (7) Langius *p. 781.* Breviter Auctor Chron. Bigaugienſis: *Tidericus Epiſcopus Zitienſis occiditur improviſe.* Male ejus obitum in ann. 1134. refert Auctor Appendicis ms. Martini Poloni in Bibliotheca noſtra Academica. (8. 9.) Langius *p. 782.*

§. XIII.

XI. RICHVVINVS Diterici ſucceſſor a Rothardo Magdeburgenſi Archiepiſcopo ordinatus, baſilicam Boſaugienſem & quinque ejusdem altaria dedicavit. (1) Ex quo colligit Langius, primam altarium & fortaſſis ipſius baſilicæ conſtructionem fuiſſe immutatam. Sed quid ſi dixerimus anteceſſorem Ditericum, conſummaſſe quidem baſilicam, & altaria quædam conſecraſſe: at ab ipſius baſilicæ & novorum altarium dedicatione per improviſam cædem fuiſſe prohibitum? Hic Richwinus inter Epiſcopos illos nomen habet, qui Viperto Marchioni monaſticæ vitæ profeſſionem ſvaſerint: (2) quod factum anno

Digitized by Google

anno cIↄ cxxiv. Sed anno ſequente deceſſit & Numburgi ad S. Mauritium humatus eſt. (3) 1124. 1125.

(1) Hiſtoria fundationis Boſaugienſis *p. 286.* Langius *p. 785.* (2) Auctor fundationis Bigaugiæ *p. 256.* (3) Langius *p. 785.*

§. XIV.

Qui eum excepit VDO ſive *Vto*, Ludovici XII.
Salii Thuringiæ Comitis filius (1) a pietate, temperantia, ſapientia, eloquentia & magnificentia Langio commendatur. (2) *Optima ejus fuiſſe principia* Auctor Pegavienſis Chronici obſervat. (3) Anno 1127.
cIↄ cxxvii. Bruno Comes, præpotens in terra Pliſnenſi dominus cum uxore Willa Smölnæ cœnobium ſanctimonialium fundavit, eique partem tertiam pagi Pliſnenſis attribuit. Sed monialibus ob vitæ improbitatem remotis, nigros ex ordine Benedictino monachos ſubſtituit. Verum his itidem paulatim deficientibus, ac tantum quatuor monachis cum Abbate ſuperſtitibus, Bruno, ne concepta ſpe fraudaretur, morti jam proximus Vdonem noſtrum ad ſe vocatum rogavit, ut fratres Ciſtertienſis ordinis pro monachis ſufficeret, ac Smölnam cum omnibus poſſeſſionibus in ſuum reciperet patrocinium. Sic igitur Brunone vita functo, Epiſcopus amotis monachis omnem ornatum, libros, privilegia, reliquias ab Eccleſia Smölnenſi in Cizenſem deportavit. Non 1132.
diu poſt cum translatio B. Gothardi in Hildesheimenſi urbe celebranda, venerationis ergo eo profectus Vdo in itinere a Walckenredenſibus cœnobitis honeſtiſſime exceptus & liberaliter habitus, quando religioſa ipſorum converſatione plurimum de-

lectaretur, huc reverſus bonam monachorum manum inde deduxit in Smölnenſi Eccleſia collocandam. Hi poſtquam per aliquot annos rebus divinis ſolicite fuiſſent occupati, cum a potenti quodam Slavo graviter vexarentur, de eo apud Vdonem queſti facultatem Walckenredam regrediendi petentes, non illam quidem impetrarunt, ſed pollicitatione in locum commodiorem brevi translatum iri deliniti ſunt. Sic igitur Vdo ipſis deputavit ſedem, ubi vicus Cuſna (Köſen) ſitus eſt ad Salam, qui ibi ponte ſtratus eſt, ac novum monaſterium ibidem conditum *Porta Mariæ* fuit appellatum. (4) Quia tamen majoris pretii & numeri erant poſſeſſiones Smölnenſes, Vdo conſentiente collegio ſuo ſtatuit, ut cœnobitæ Portenſes Cuſnam, Lochvitium & nonnulla alia acciperent, donec Smölnenſibus prædiis ex æquo reſponderent. Confirmarunt hoc cambium Innocentius II. Pontifex bulla Romæ an. CIↃ CXXXVII. & Conradus Rex diplomate anno CIↃ CXL. apud Wormatiam datis in *Chronico Portenſi* Juſtini Pertuchii repetitis. In eodem Chronico etiam legas inſigne decretum Epiſcopi Vdonis totam translationis Portenſis hiſtoriam illuſtrans, cui præter ceteros Bertholdus Præpoſitus, Theodoricus Decanus, Heinricus Scholaſticus & ceteri Canonici Numburgenſes, præterea Vdo Præpoſitus, Gvermardus Decanus, Hartmannus, Heinricus, Sigefridus ex Canonicis Cizenſibus ſubſcripſere. An. CIↃ CXXXIII. pactum de protectione Eccleſiæ Numburgenſis factum inter Conradum Marchionem Miſniæ & Vdonem Epiſcopum: in quo Epiſcopus quædam beneficia pro protectione

Digitized by Google

tectione contulit, & inter ea etiam caſtrum Sattan. Iſtud pactum confirmavit Conradus III. Imp. anno CIↃ CXLIV. Ab hoc Conrado Marchione deinceps jus protectionis translatum eſt in ejus ſucceſſores. Itaque ejus filius & nepos Dedo & Conradus in documentis de an. CIↃ CLXXXV. & CIↃ CCVI. nominantur *Advocati Eccleſiæ Numburgenſis.* Idem Vdo Epiſcopus monaſterium ſanctimonialium in S. Stephani honorem Cizæ extra civitatem, eo loci, ubi nunc ædes cœmeterii ſita, condidit, quod poſtea in urbem ad S. Michaelem translatum. (5) Bertholdum etiam Svevum ab Abbatia San-Georgiana removit. (6) In monaſterio Walckenredano duas aras verſus meridiem, alteram in S. Alexandri, alteram in honorem S. Benedicti conſecravit. (7) Anno CIↃ CXLVII. cum 1147.
Conrado Rege expeditionem in Palæſtinam ſuſcepit, 1148.
ſed anno proximo rediturus naufragio periit. (8)

(1) Langius *p. 785.* (2) Idem *ibid.* (3) *ad an. 1125. p. 257.* (4) Hiſtoriam translationis Portenſis præcipue ex Pertuchii *Chronico Portenſi* contraximus. Videatur etiam Henrici Eckſtormii *Chronicon Walkenredenſe pag. 45. 46.* (5) Langius *pag. 786. & 868.* (6) Auctor Chron. Gozecenſis *p. 235.* (7) Eckſtormius *p. 47.* (8) Chron. Bigaugienſe *p. 260.* Langius *p. 785.*

§. XV.

In ejus locum ſucceſſit WICHMANNVS, Patre Gerone Comite Bavarico & Mechtilde Conradi inclyti Miſniæ Marchionis ſorore natus. (1) Hunc, ut & Bertholdum ſucceſſorem quia prætermittit Langius, ac porro non niſi Vdonis II. exceſſum annotat, facile exiſtimare, per temporum injuriam nonnulla ex hoc XIII.

luculen-

1153. luculento ſcriptore excidiſſe. Hic Epiſcopus an. CIↃ CLIII. Portenſi monaſterio anteceſſoris privilegium, ac quæ alia acceperunt bona liberaliter confirmavit. Diplomati Bertoldus majoris Eccleſiæ Præpoſitus, Theodoricus Decanus, Walterus Cuſtos, Gerlacus Scholaſticus, Drutwinus & ceteri Numburgenſes Canonici, ut & Reinholdus Abbas S. Georgii ſubſcripſere. (2) Idem Theodorico Abbati Portenſi contulit duos manſos in Heſeler, unum in Tribune, duos manſos cum curia in Numburg: idque pro remedio animæ ſuæ, per manum Hermanni Vicedomini. (3)

1154. Sequenti anno CIↃ CLIV. conſtituit, ut vinum, quod in manſo, quem Hartmannus Cizenſis Canonicus Portæ donaſſet, colligeretur, in ægrotorum fratrum ut & pauperum uſus cederet, decima tantum urna, quando vini proventus permitteret, ſervata, ut lagenæ ceteraque utenſilia inde pararentur. (4) Eodem autem anno Wichmannus noſter per Friderici I. Germaniæ Regis auctoritatem, & Canonicorum quorundam muneribus corruptorum molitionem Archiepiſcopale pedum Magdeburgi conſecutns eſt. (5)

(1) Appendix Chronici Montis-Sereni *p. 203.* Chronicon Bigaugienſe *p. 260.* (2) Vide ipſum diploma in *Chron. Portenſi p. 27. ſeqq.* & confer *pag. 94.* (3) In eodem Chronico *p. 27. & 94.*)4) Ibid. *pag. 95.* (5) Otto Friſingenſis *de Geſtis Friderici I. lib. I. c. VI.*

§. XVI.

XIV. Qui Wichmannum ſequitur BERTHOLDVS, Wichmanni, quod voluit Dreſſerus, (1) neſcio an frater, ex Præpoſito in Epiſcoprum electus Frideri-

ci I.

ci I. privilegio, quo Henrico Leoni inveſtitura trium Epiſcopatuum Aldenburg, Mecklenburg & Ratzeburg conceſſa, ſubſcripſit. (2) In Friderici I. contra Mediolanenſes expeditione anno CIↃCLXI. obiit. (3) 1161.

(1) Dreſſerus *p. 285.* (2) Editum a Madero in *Antiquitatibus Brunſwicenſibus* edit. I. *p. 121.* (3) Chronicon Montis-Sereni *p. 32.* Falſo igitur a Pertuchio & aliis Vdo II. Wichmanno ſucceſſor datur.

§. XVII.

Hinc in cathedram Archiepiſcoplem qui evectus VDO II. quem ſororis Vdonis I. filium faciunt Albinus & Dreſſerus, (1) *non tam præeſſe quam prodeſſe voluit diœceſios ſuæ Eccleſiis:* ceu ipſe teſtatur in privilegio Portenſi monaſterio anno CIↃCLXVIII. dato. (2) Eccleſiæ *Dei Gratia* dedicationem ſua præſentia illuſtravit. (3) Idem Portenſibus varias poſſeſſiones aſſignavit alio diplomate (4) in quo ex Clericis ſequentes laudantur teſtes: Theodoricus Præpoſitus majoris Eccleſiæ, Hartmannus Decanus, Volquinus Cuſtos, Conradus Scholaſticus, Bertoldus, Otto de Waſungen & ceteri Canonici, Rudigerus Abbas S. Georgii, Guntfridus Præpoſitus S. Mauritii in Nuenburg. Præterea Portenſibus licentiam dedit terram fodiendi, lapides frangendi ad reparandas clauſuras, & alia neceſſaria operandi in monte Salberg dicto, fontem item prope Frenkenau in uſus ſuos deducendi. (5) Cumque Rudigerus Abbas San-Georgianus Adeloldo Abbati & fratribus Portenſibus ad reparandam Salæ clauſuram, plenariam montis Salberg communionem dediſſet, hoc confirmavit Vdo, & manſum cum dimidio in monte Salberg obtulit ſuper altare

XV. 1168.

tare B. Virginis Mariæ, Adeloldo carratam vini lar-
1172. giente. Quæ acta ſunt anno CIↃCLXXII. III. Non Maji. (6) Nec minus hic Epiſcopus cambii Smölna-Portenſis confirmationi a Friderico I. Altenbur-
1180. gi datæ ſubſcripſit anno CIↃ CLXXX. (7) annoque ſuperiori Fridericus I. Imp. comitia Numburgi celebravit. (8) Auxit porro hic Vdo reditus ad S. Mau-
1186. ritium Numburgi. (9) Mortuus anno CIↃ CLXXXVI. (10)

(1) Albinus *p. 285.* Dreſſerus *p. 258.* (2) in Chron. Portenſi *p. 30.* (3) Chron. Montis-Sereni *p. 33.* (4) In Chron. Portenſi *p. 33.* (5) Ibid. *p. 98.* (6) Ibid. (7) Ibid. *p. 36.* (8) Chron. Bigaug. *ad an. 1179. p. 263.* (9) Dreſſerus *p. 258.* (10) Chronicon Montis-Ser. *p. 51.* Langius *p. 789.* In ſequentem annum obitum ejus refert Chron. Bigaugienſe *p. 266.*

§. XVIII.

XVI. BERTHOLDVS II. in regimine Numburgenſis Eccleſiæ Vdoni ſuccedens annis viginti ſedit. Eundem eſſe reor, qui in laudato Friderici I. diplomate monaſterio Portenſi dato *Capellanus & Canonicus Nu-*
1188. *enburgenſis* audit. Anno CIↃCLXXXVIII. privilegio Friderici I. Imp. Lubecenſibus reddito apud caſtrum Lizenize (Leißnick) cum aliis teſtibus ſubſcripſit. Anno
1190. CIↃCXC. Boſaugienſi cœnobio dedit privilegium ſu-
1191. per duos manſos in villa Cochowe ſitos. (1) Biennio poſt inter teſtes illos locum habet, qui Henrici VI. Imp. confirmationem de inſtitutione Eccleſiæ in Zwickow cum duobus manſis & telonii ibidem decimis, quæ Boſaugienſi monaſterio attributa, Merſeburgi comprobarunt. (2) Anno CIↃCXCV. ſolenni-
1195. bus Comitiis ab Henrico Imp. in villa regia Geilenhuſen celebratis affuit non modo, ſed & cum aliis Princi-

Principibus in Palæſtinam iturus pro more illius ævi cruce ſignatus, anno MCXCVII. ipſam expeditionem 1197.
ſuſcepit, ſed anno proximo circa feſtum S. Jacobi Apoſtoli reverſus eſt. (3) Anno MCC. Alberoni 1200.
Præpoſito de Luſinitz ob dilapidationem bonorum Eccleſiæ ſuæ & vagas libidines remoto Marquardum Sereni-Montis Canonicum ſuffecit. (4) Ceterum anno MCCVI. e curia Romana reverſus Epiſco- 1206.
patum Philippo Regi reſignavit. (5)

(1) Langius *p. 790.* qui hujus privilegii initium & teſtes affert. (2) Langius *p. 790. ſeq.* (3) Langius *p. 795.* (4) Chron. Montis-Ser. *p. 86.* (5) Langius *p. 796.*

§. XIX.

Sic itaque ENGELHARDVS, qui ei ſucceſ- XVII.
ſor dabatur, paulo ante Paſcha in Presbyterum, in ipſo autem Paſchali feſto in Epiſcopum ab Alberto Præſule Magdeburgenſi conſecratur. (1) Hic cum Dei, & pro ſuperſtitioſi ſeculi genio S. Mariæ virginis cultor eſſet devotiſſimus, nec non omni virtutum genere conſpicuus, complura per vitam pietatis exercuit opera, ac inprimis in monaſterium Boſaugienſe liberalis fuit: (2) ſiquidem anno MCCXIII. 1213.
eidem dedit privilegium confirmationis de villa Leſten & parochia in Profin: (3) itemque ratam habuit collationem in Profin cum capellis infra terminos ejus conſtruendis, quæ ab Vdone Epiſcopo facta erat. (4) Anno MCCXV. ſubſcribit diplomati, quo 1215.
Fridericus II. Walckenredenſe monaſterium in ſuum patrocinium ſuſcipit. Quod factum apud Herbipolin. (5) Anno MCCXVII. Engelhardus Epiſcopus 1217.
cum Friderico II. Cæſare multisque aliis Epiſcopis

Digitized by Google

& Principibus ad recuperandam terram ſanctam navigavit, & juxta Accaron cum ingenti exercitu con-
1223. venerunt. (6) Anno MCCXXIII. una cum Ekkehardo Merſeburgenſi Epiſcopo graves, quæ inter Sigfridum Abbatem Pegavienſem & Ditericum Miſnenſem Marchionem de Pegavienſis monaſterii advocatia erant lites, compoſuit. (7) Anno MCCXXVIII. una cum capitulo Numburgenſi bullam quandam Johannis XX. Papæ per Gregorium IX. confirmari cura-
1230. vit. (8) Anno MCCXXX. cum Sigfridus Archiepiſcopus Moguntinus Erfurti ſepeliretur, his ſolennibus
1235. Engelhardus adfuit. (9) Anno MCCXXXV. in Comitiis Moguntinis Friderici II. diplomati Erectionis Ducatus Brunſwicenſis ſubſcripſit. (10) Anno MCC
1238. XXXVIII. ab Henrico Marchione Miſniæ & Thuringiæ Landgravio multa privilegia accepit: viciſſim vero contulit Marchioni feuda Haini, Ortranti, Strelæ, Dalæ, Oſchatzii, Grimmæ, Smölnæ, Rutleizbergii & aliorum oppidorum & arcium, item decimam. Neque tamen hic Marchio primus Advocatus ſive defenſor Eccleſiæ Numburgenſis exſtitit: ſecus ac nonnulli ac hos inter ipſe Pflugius (11) ſcribunt: etſi jus illud protectionis renovatum fuerit datis novis feudis, inter quæ præter recenſita fuit Comitatus in Puſchwitz, & ſylva in Breitenbach: id quod me docuit ὁ πάνυ Schilterus: qui & pro *Rutleizberg* apud Dreſſerum reponendum monet *Rudelsbrunn.*
1239. Anno MCCXXXIX. juſſu Alberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis Engelhardus Epiſcopus monaſteria ſuæ diœceſios inviſens multa in melius reformavit, præcipue in cantu & celebratione divini cultus, qui variis

Digitized by Google

riis abuſibus erat corruptus, eoque nomine ſcriptum conſignavit in monaſterio Boſaugienſi datum. (12) Anno demum MCCXLII. vitam cum morte commutavit. (13) 1242.

(1) Chron. Montis-Ser. *p. 81.* (2) Langius *p. 796.* (3) Idem Langius *p. 797. f.* (4) Idem *p. 798.* (5) Diploma exſtat in Eckſtormii *Chron. Walckenredenſi pag. 136.* (6) Langius *pag. 799.* (7) Chron. Montis-Ser. *p. 152.* (8) Vid. Hiſtoria Eccardi II. *ſect. XI. §. 7.* (9) Langius *p. 796.* (10) Vid. Erectio Ducatus Brunſw. ab Henrico Meibomio edita *pag. 605.* (11) Dreſſerus *p. 358.* Beierus *p. 214.* Julius Pflugius in *Replica* apud Hortlederum de C. B. G. *lib. V. c. XVI. p. 1536.* (12) Langius *p. 800.* (13) Idem *p. 801.*

§. XX.

Singulari tum temporis pietatis ac doctrinæ fama inter Numburgenſes Canonicos florebat *Petrus* quidam, qui licet in academia Pariſienſi ſtudiorum ergo ageret, concordibus tamen Collegii ſuffragiis in Epiſcopum eligitur. Sed dum nuncii, ut quantocius rediret, in Galliam abeunt, DITERICVS II. XVIII.
(Theodoricus) ex Miſnenſibus Marchionibus (1) [Brenenſem & Wetinenſem Comitem vocat Dreſſerus (2)] ab Archiepiſcopo Magdeburgenſi donariis ſuis corrupto confirmationem Epiſcopalem obtinet. Adventans igitur Petrus dum pro legitima electione ſua acri ſermone laborat, non verbis modo, ſed & verbera præferentibus minis retunditur: (3) id quod contigit anno MCCXLV. ac forte in illa ſynodo Num- 1245.
burgi anno ſuperiori celebrata, cujus memoria in *Chronico Portenſi (4)* ſuperat, hac de re fuit actum. Laudantur ibidem ſequentes Canonici Numburgenſes: Volckmarus de Roſenfeld, Fridericus Cuſtos,

Digitized by Google

Heinricus de Strasburg, itemque Heroldus Præpoſitus Cizenſis. Quamvis igitur Ditericus iſte magis intruſus, quam canonice electus, Eccleſiam tamen per complures annos ſic ſatis bene rexit & ſalubriter: (5) licet Dreſſerus propter illam cum Petro diſcordiam gravi eum ære alieno oppreſſum, ſed a Diterico II. Marchione protectore Numburgenſis Eccleſiæ immunitatem omnium exactionum conſe-
1247. cutum ſcribat. (6) Anno MCCXLVII. campanam maximam Erfurti tunc fuſam pro ſuperſtitioſo ſæculi more conſecravit. (7) Structuram ædis cathedralis Numburgi ſi non conſummavit, certe conſummare
1249. voluit: id quod patet ex ejus diplomate anno MCC XLIX. dato in *Hiſtoria Eccardi II.* a nobis allato. (8)
1258. Anno MCCLVIII. monaſterio Boſaugienſi confirmavit duorum manſorum in pago Gladitz aliorumque bonorum a Conrado Silice profectorum donationem. (9) Teſtes in diplomate præter ceteros laudantur Meinherus Præpoſitus & Heinricus Decanus, actaque ſunt
1268. Cizæ in curia Epiſcopali. Cum anno MCCLXVIII. Albertus Thuringiæ Landgravius ejusque frater Ditericus Marchio de Landisberg gravi laborarent diſcordia, & res ad bellum ſpectaret, Ditericus Epiſcopus ſedulam dabat operam, ut priſtina reduceretur concordia: adeoque per has occupationes novi templi in monaſterio Portenſi dedicatione defungi non potuit, ſed Mersburgenſi, aliisque Epiſcopis commiſit. (10) Idem ab Abbate & conventu Portenſi accepit corpus integrum unius ex XI. mille virginibus, & partem reliquiarum Apoſtolorum Petri & Pauli: inſuper & lampadem coram ipſis reliquiis

Digitized by Google

quiis perpetuo arſuram. E contrario eisdem promiſit, ordini Ciſtercienſi a Pontificibus conceſſa ac alia item privilegia per ſe ac ſucceſſores ſuos ſarta tecta ipſis manſura, eosque in perpetuam fraternitatem ſuſceptum iri. (11) Annum & diem emortualem hujus Epiſcopi Langius reperire non potuit. (12) Quod utique miramur, ſi in monaſterio Boſaugienſi, cujus ſodalis erat Langius, ſepultus fuit. (13)

(1) Albinus *p. 285.* (2) Dreſſerus *p. 258.* (3) Langius *p. 802. Magiſter Petrus dum ſuper ſua rata electione multa allegaret, & nil proficeret, imo niſi faceret, baculandum ſe eſſe intelligeret, ſermonem & allegata ſupprimens, confuſus abſceſſit.* (4) *pag. 108.* (5) Langius *p. 802.* (6) *pag. 259.* (7) Langius *p. 803.* Dreſſerus *d. l.* (8) *Sect. 15. §. 3.* (9) Langius *p. 807.* (10) Diterici Epiſcopi ſcriptum exſtat in *Chron. Portenſi p. 271.* (11) Habetur in eodem *Chronico p. 282.* (12) Langius *p. 807.* (13) Beierus in *Geographo Jenenſi c. X. p. 216.*

§. XXI.

Qui defuncto Diterico ſucceſſit MEINHERVS ex Burggraviorum Miſnenſium familia (1) antea Numburgenſis fuit Præpoſitus. In Catalogo Epiſcoporum Numburgenſium, quem aliquoties laudat Langius, *vir* audit *multa religione præditus, quique bene præfuerit.* (2) Sed quod in eodem Catalogo habetur, eundem anno MCCLXVI. obiiſſe, vero non eſt conſonum. Dreſſerus eum multa beneficia a Marchionibus Miſniæ accepiſſe, magno tamen ære alieno Eccleſiam obſtrinxiſſe, & arces ac oppida pro eo oppignoraſſe memorat. (3) XIX.

(1) Dreſſerus *p. 259.* (2) Langius *p. 810.* (3) Dreſſerus *d. l.*

Digitized by Google

§. XXII.

XX. Exin LVDOLPHVS, quem perperam nonnulli *Rudolphum* nuncupant, cathedræ Numburgenſi impoſitus, ſingularis Boſaugienſis monaſterii fautor & patronus fuit egregius: (1) ac eidem inter alia indulgentias Papales ſuo confirmavit privilegio. (2) Saleſin
1284. ad Strelam vendidit. (3) Deceſsit anno MCCLXXXIV.

(1) Langius *p. 812.* (2) Idem *p. 814.* (3) Dreſſerus *p. 259.*

§. XXIII.

Succeſſorem ejus in vetuſto quodam Chronico BATHERIVM reperit Langius; (1) ſed quia hujus nomen in communi Epiſcoporum Catalogo non habetur, eundem ante conſecrationem putat mortuum: quæ item eſt ſententia Albini. (2)

(1) *pag. 814.* (2) *p. 285.*

§. XXIV.

XXI. Quamobrem BRVNO, cui vigeſimum primum inter Numburgenſes Epiſcopos locum aſsignamus,
1285. an. MCCLXXXV. illius Eccleſiæ curam ſuſcepit. Hic a Langio (1) laudatur *vir magnæ vitæ & converſationis ſanctæ, qui multa laudabilia pro eccleſiæ ſuæ utilitate & cleri inſtitutione ac reip. pace & tranquillitate in diebus ſuis peregit pietatis opera, fuitque monaſterii Boſaugienſis amicus, fautor & benefactor eximius.* Natus hic eſt Epiſcopus ex dynaſtis Querfurtenſibus, patre Gebhardo XI. qui puerum in Scholam monaſterii San-Petrini Mersburgum miſit, ubi humanioribus literis pro captu ſæculi fuit eruditus. (2) Summe eum ob eloquium & prudentiam æſtimarunt alii Principes, ſacri æque ac civiles, & inprimis Fridericus Miſniæ Marchio, ac Otto Burggravius Kirchbergenſis. Anno

Digitized by Google

no. MCCLXXXVI. cum Witigone Miſnenſi ac Heinrico 1286.
Mersburgenſi Epiſcopis Honorii IV. bullam contra invaſores cleri promulgavit. (3) Anno MCCLXXXVIII. 1288.
cum ab obitu Heinrici Miſniæ Marchionis Miſnia & Oſterlandia latrociniis & rapinis expoſita graviter vexarentur, multi Principes Grimmæ convenientes obicem his malis ponere decreverunt: in quibus etiam Bruno noſter non poſtremo fuit loco. (4) Eodem anno Albertus Marchio pro jure protectionis feuda accepit nova ab Epiſcopo, Eccardsbergam, Botelſtetum, Raſpinbergam, itemque Comitatus tres Beichlingen, Buche & Maſpe: ut adeo fallatur Dreſſerus, (5) qui hoc ad annum MCCXCIV. refert. Idem etiam Rudolphi Germaniæ Regis comitiis Erfurti inſtitutis interfuit anno MCCXC. (6) Sequentis anni men- 1290.
ſe Majo monaſterio Iſenacenſi ad S. Catharinam ſingulares indulgentias impertitus eſt. (7) Eodem anno monaſterio Boſaugienſi contulit privilegium confirmationis ſuper novem manſos in Budowil. (8) An- 1291.
no MCCXCIV. Adolphus Naſſovius Rex Germaniæ, 1294.
cui Albertus Landgravius liberis ſuis Friderico Admorſo & Dieterico adverſus Thuringiam vendiderat, Numburgum proditione cepit, ac diœceſin Numburgenſem graviter afflixit. (9) Anno MCCXCV. Fri- 1295.
dericus *cum admorſa gena* a Brunone Epiſcopo feuda quædam accepit jure protectionis, annectens, *ſe fidelitatis vinculo Epiſcopo Numburgenſi & ſuæ Eccleſiæ obſtrictum eſſe.* Anno MCCXCIX. monaſterio Boſaugienſi 1299.
dedit privilegium confirmationis ſuper decimis in Millindorf. (10) An. MCCC. cum Chriſtianus dictus 1300.
de Bachare civis Numburgenſis omnia ſua bona, con-

ſen-

Digitized by Google

ſentientibus heredibus ſuis monaſterio Portenſi tradidiſſet, Bruno Epiſcopus hanc donationem confirmavit. (11) An. MCCCI. Fridericus Boſaugienſis Abbas condidit privilegium ſuper ſuo & Henrici de Botfelt anniverſario, quod idem Bruno ratum eſſe juſſit. (12) Idem eodem anno quatuor hortos in Zangenberg, quos Heinricus de Lichtenhain Boſaugienſis monachus huic contribuit monaſterio, ſua auctoritate firmavit: ac iterum anno MCCCIII. id fecit in Nicolai Abbatis Boſaugienſis privilegio ſuper anniverſario Heinrici de Botfeld ac nobilium de Tribens-hayn. (14) Anno MCCCIV. quo pactum illud de protectione Eccleſiæ Numburgenſis renovatum inter Epiſcopum & Fridericum Landgravium, Bruno noſter in CHRISTO obdormivit: de cujus obitu Langius in vetuſto quodam Chronico hæc verba ſcripta reperit: *Bruno venerabilis Nuenburgenſis Eccleſiæ Epiſcopus cum in extremis laboraret, juſſit ſe ſuper nudam terram ſubſtratis cineribus reclinari, in quibus humiliter & devote recubans ſpiritum feliciter exhalavit anno Dominicæ incarnationis MCCCIV.*

1301. 1303 1304

(1) Langius *p. 814.* (2) Cyriacus Spangenberg in *Chronico Querfurtenſi cap. XI. p. 349.* (3) Langius *p. 815.* Spangenberg *p. 350.* (4) Spangenberg *d. l.* (5) Dreſſerus *p. 259.* (6) Auctor Additionum ad Lambertum Schafnab. Spangenberg *d. l.* (7) Spangenberg *p. 350.* (8) Langius *p. 816.* (9) Spangenberg *p. 351.* (10) Langius *p. 820.* (11) Pertuchii Chron. Portenſe *pag. 120.* (12) Langius *p. 820.* (13) Langius *d. l.* (14) Idem *d. l.*

§. XXV.

XVII. Eodem anno ſecundum ſanctiones canonicas electus eſt VLRICVS *de Wolckenberg* (alii ex Ilenburgi-

burgicis dynaſtis prognatum volunt (1) *Vir*, ut Langius ait, *vitæ rectitudine conſpicuus, & in agibilibus mundi peritiſſimus:* qui & ipſe, perinde ut anteceſſor, Boſaugienſi monaſterio impenſe favit, ac eidem ſub auſpicia Epiſcopatus ſeptem manſos in Rodwansdorf a Chriſtiano de Luchou emtos confirmatione ſua dicavit. (2) Anno MCCCVI. cum Heinricus Abbas Pe- 1306.
gavienſis a Numburgenſibus Canonicis ad S. Mauritium molendinum in Aldenburg emiſſet, Vlricus Epiſcopus in id conſenſit, teſtibus Chriſtiano Abbate S. Georgii, Gunthero monacho & Camerario ibidem, Heinrico de Weiſſenſee, Vlrico de Bodenſtein, Heinrico de Kamberg, perpetuis vicariis Eccleſiæ Numburgenſis. (3) Eodem anno Burggravius de Kirchberg ſenior parochiam in Briſenitz, ac iterum capellam in Kirchberg Boſaugienſi monaſterio contulit: id quod Vlricus noſter ſuo conſenſu approbavit. (4) Teſtes hanc in rem laudantur Ericus Abbas de Burgelino, Conradus Pincerna de Salek, Præpoſitus, Hermannus de Starckenberg, Decanus. Anno MCCCVIII. Vlricus Epiſcopus renovavit inveſtituram Friderico Landgravio in Comitatibus Maſpe, Beichlingen & Buche: in Eccardsberga, Buttelſtedt, Raſpenburg, Groſſenhain, Ortrant, Grimma, Oſchatz, Rochlitz, Sthul zu Groiz, Haus Drößig, promittenti protectionem & privilegiorum tuitionem. Anno MCCCIX. Gerhardus de Ciza, Johannes 1309.
de Weiſſenfels, Ditmarus Riſener, Petrus Breitfus, Chriſtianus Ehrenfried, cives Numburgenſes plures agros Heinrico Abbati Portenſi tribuendos coram Vlrico Epiſcopo reſignarunt. (5) Sequenti anno 1310.
E cum

cum Ehrenfriedus Canonicus & Theſaurarius Eccleſiæ Numburgenſis eidem Abbati bona quædam in pago Thuſchwitz & partem ſylvæ prope Lahan traderet, proque iis alia bona in villa Wetha & partem ſylvæ in Leſchen reciperet, hoc cambium con-
1311. firmavit noſter Epiſcopus. (6) Anno MCCCXI. Nicolaus Boſaugienſis Abbas pratum a monaſterio quondam alienatum redemit, idque Vlrico noſtro conſentiente. (7) Idem Dalam & Strelam Dominis de Ilenburg pro quingentis marcis argenti Fribergenſis vendidit. (8)

(1) Albinus *pag. 285.* Dreſſerus *pag. 259.* (2) Langius *pag. 821.* (3) Chron. Portenſe *p. 125.* (4) Langius *p. 823.* (5) Chron. Portenſe *p. 125. ſeq.* (6) Idem Chron. *p. 126.* (7) Langius *p. 826.* (8) Dreſſerus *p. 259.*

§. XXVI.

1316. Vlrico anno MCCCXVI. XVI. Kl. April. humanis rebus exemto (1) per canonicam electionem ſucceſſit
XXIII. HEINRICVS Comes de Grumpech, (2) vel Stalbergenſis, (3) gubernator ſapiens & commodus Eccleſiæ, utpote quam impetratis privilegiis auxit, & parœciam Langendorfenſem Decanatui Cizenſi ad-
1320. junxit. (4) Anno MCCCXX. Boſaugienſi monaſterio dedit privilegium confirmationis ſuper uno talento annui cenſus monetæ Cizenſis: (5) ac porro indulgentias quasdam Portenſi monaſterio conceſſas ſuo conſenſu firmavit. (6) Vivendi finem fecit anno
1326. MCCCXXVI. (7)

(1) Langius *p. 827.* (2) Langius *p. 828.* (3) Albinus *p. 285.* Dreſſerus *pag. 260.* (4) Dreſſerus *d. l.* (5) Langius *pag. 828.* (6) Chron. Portenſe *p. 277.* ubi tamen epocha 1328. eſt erronea. (7) Langius *p. 830.*

Digitized by Google

§. XXVII.

Poſt hunc diœceſin Numburgenſem per viginti annos rexit WITIGO: *De cujus vita & geſtis nihil præter nomen ſcriptis inditum invenire valuit* Langius, *ſcriptorum magis incuria*, ut putat, *quam ingeniorum penuria.* (1) Sed Dreſſerus, qui eum ex Meldingiorum ſtemmate deducit, teſtatur ipſum fundaſſe eccleſiam collegiatam B. Mariæ Numburgi, & emiſſe arcem ac oppidum Saleck ſexagenis ſeptingentis. (2) XXIV.

(1) Langius *p. 830.* (2) Dreſſerus *p. 260.*

§. XXVIII.

Hoc autem anno MCCCXLVII. decedente Epiſcopus cooptari meruit JOHANNES ex nobili Miltiziorum proſapia, qui anno MCCCXLIX. privilegium indulgentiarum pro Boſaugienſi monaſterio, Avenione, ubi tunc Papalis erat ſedes, impetratum ſua quoque auctoritate confirmavit. (1) Anno MCCCLII. hic Epiſcopus in feſto S. Johannis Evangeliſtæ ὀνομαστήρια ſua celebraturus complures matronas & virgines formoſas invitavit; ſed inter duas, quas medius ipſe manibus tenebat, choream ducens, repente corruens exſpiravit. Quem vitæ exitum conſiderans Langius, admodum ſiniſtre de eo judicat ſequentibus verbis: *Mortuus non ut Epiſcopus, non ut ſacerdos, ſed velut hiſtrio vanus, & vir ſæculo deditus. Mortuus, inquam, non in atrio, ſed theatro, non in loco ſacro, ſed prophano, non in Eccleſia, ſed chorea. Proinde ex fine ejus & operibus ille Præſul fuiſſe probatur ex grege illorum Præſidum, qui non per oſtium, aliunde ſed conſcendunt in ovile Chriſti, qui officium epiſcopale neſciunt, curam paſto-*

1347. XXV. 1349. 1352.

ralem poſtponunt, clerum contemnunt, populum ſibi commiſſum negligunt, pauperes flocciſaciunt, & fame perire ſinunt; qui cartiludio aut fritillo plus quam evangelio intendunt; & Venerem Bacchumque magis, quam CHRISTVM venerantur & colunt; qui denique deliciis corporalibus & mundi voluptatibus ſine Dei metu inſervientes, ſola terrena ſapiunt, pariterque & propria & commiſſorum ſalutis immemores, futura minime proſpiciunt. (2)

(1) Langius *p. 837.* (2) Idem *p. 838.*

§. XXIX.

XXVI. Succeſſor ejus RVDOLPHVS, inclyto Pincernarum *(de Nebra,)* (1) ſtemmate genitus, anno
1353. MCCCLIII. Boſaugienſi monaſterio dedit privilegium de conjunctione [incorporationem vulgo vocant]
1354. Eccleſiarum Briſenitz & Lobichau. (2) Sequenti anno eidem ejusque diœceſi patrocinium ſuum ſtipulati ſunt fratres Miſniæ Marchiones Thuringiæque Landgravii, Fridericus, Balthaſar, Ludovicus & Wilhelmus. (3) Oppignoravit Capitulo Schnebergam, Regis, & Breitingam pro ſexcentis ſexagenis groſſorum Pragenſium. (4) Poſtquam Eccleſiam per decennium feliciter rexerat, e vita migravit an-
1362. no MCCCLXII. (5)

(1) Dreſſerus *p. 260* (2) Langius *p. 839.* Julius Pflugius in *Replica* apud Hortlederum *de C.B.G. lib. V. cap. XVI. p. 1336.* (4) Dreſſerus *p. 260.*

§. XXX.

XXVII. Tum GODEHARDVS [*Gerhardum* alii appellant] ex illuſtribus Comitibus de Swartzburg oriundus, Numburgenſi epiſcopatui præficitur. Cum
1366. anno MCCCLXVI. Canonici regulares ad S. Mauritium

extra

extra muros Numburgenſes Portenſi monaſterio manſos aliquot & curias iisdem annexas vendidiſſent, in contractum conſenſit Epiſcopus. (1) Alienavit ab Eccleſia Strelam, & nonnulla alia quæ trans Myldam habuit, excepta jurisdictione eccleſiaſtica, Saten & Frauenhaino, eaque vendidit Duci Bolcken in Svidenitz Luſatiæ pro quatuor millibus & ſexcentis ſexagenis. (2) Cum per aliquot annos Numburgenſi dœceſi præfuiſſet, ad Wurtzburgenſem promotus eſt: (3) de quo tamen dubitat Langius. (4)

(1) Chron. Portenſe. (2) Dreſſerus *p. 261.* (3) Albinus *p. 285.* Dreſſerus *p. 260.* (4) *pag. 840.*

§. XXXI.

In Godehardi locum ſuffectus eſt WITIGO II. Sed *de quo præter nomen, annum & diem obitus nihil penitus literis inditum*, comperit Langius. (1) At Dreſſerus notat, quod Capitulo Numburgenſi dederit privilegia in libertatibus & terminis judiciorum, Cizenſi vero Decanatui partem in foreſto ad Breitenbachium. (2) Vulgatus Epiſcoporum Numburgenſium catalogus (3) eundem obiiſſe tradit anno MCCCLXXXI. XXVIII. 1381.

(1) *pag. 842.* (2) *pag. 261.* (3) apud Langium *p. 842.*

§. XXXII.

Gemina Langii (1) querela eſt in CHRISTIANO Antiſtite, qui anno MCCCLXXXII. Epiſcopale munus ſuſcepit. Dreſſerus eum e Witzlebiorum gente natum, ac antiquam jurisjurandi formulam, qua ad ſuam ætatem conſules Numburgenſes uſi, renovaſſe tradit. (2) E vita exceſſit anno MCCCXCV. (3) XXIX. 1382. 1395.

(1) *pag. 844.* (2) Dreſſerus *p. 261.* (3) Langius *p. 844.*

§. XXXIII.

Deinceps Canonicorum Collegium conſenſit in
XXX. VLRICVM II. *de Roſenfeld*, qui anno MCCCCIV. Fri-
1404. derico Bellicoſo præter loca ſuperius recenſita alia in feudum contulit, utpote Döbel, Breitenhain, Borna, Mülberg, Langenberg, Leißnig, Weiſſenfels, Camburg, Neumarck, Heßler, Balſtädt, Wihe, Memmeleben: ac porro anno MCCCCVII. litem inter Mau-
1407. ritianos Numburgenſes & Portenſes monachos per certos arbitros compoſitam utriusque partis rogatu confirmavit, (1) Rebus mortalium valedixit hic Epi-
1410. ſcopus anno MCCCCX. (2)

(1) Chron. Portenſe *p. 139.* (2) Langius *p. 849.*

§. XXXIV.

XXXI. In locum ejus qui ſurrogatur GERHARDVS *de Guch*, [ex familia *Goch* in Juliacenſi Ducatu (1)] qui *non ſine magna nominis ſui laude & commiſſæ Eccleſiæ utilitate* annis ferme XXIII. præfuit. (2) Huic cum Erhardo Abbate Portenſi ob ſylvam quandam das Grabholtz dictam, liticulam interceſſiſſe, ex ſucceſſoris quodam ſcripto in Langii Chronicon relato diſcimus. (3) Concilio Conſtantienſi interfuiſſe, ac una cum aliis Johannem Huſſum damnaſſe volunt.
1427. (4) Debitum naturæ ſolvit anno MCCCCVII. uti Langius, (5) vel ſequenti, uti voluit Dreſſerus. (6) Quo ipſo anno Fridericus *Placidus* & Sigmundus Epiſcopo Numburgenſi & Eccleſiæ ejus dederunt literas Protectionis. (Schutzbrieffe.)

(1) Dreſſerus *pag. 261.* (2) Langius *pag. 849.* (3) Vid. Langium *p. 855. 859.* (4) Beierus in *Geographo Jenenſi pag. 219.* (5) *p. 855.* (6) Dreſſerus *p. 261.*

§. XXXV.

§. XXXV.

Huic conſentientibus Canonicorum ſuffragiis ſucceſſor datur JOHANNES II. Præpoſitus Numburgenſis, Decretorum Doctor Bononiæ creatus (1) ex nobili Sleiniciorum familia oriundus, qui diœceſin ſuam egregie rexit, res magnas & memorabiles perficiens. Inter has ad Huſſitarum impetum & furorem arcendum arcem Epiſcopalem Cizæ muniens novis foſſatis, muris & turribus cinxit, & novum pontem adjecit. Fuit denique hic Epiſcopus humanitate, liberalitate ac magnificentia præſtantiſſimus, ac inprimis erga egenos munificus, cunctis calamitate preſſis ope ſua ſubveniens, ut adeo & verbo & exemplo vere ſuis præluxerit. (2) Anno MCCCCXXXII. Boſaugienſi Abbati Erhardo privilegium contulit ſuper piſcina in villa Ozzick. (3) Anno MCCCCXXXIV. Fridericus II. *Placidus*, Saxoniæ Elector ejusque frater Sigismundus majorum ſcripta de præſidio Epiſcopatus Numburgeſis renovarunt. (4) Atque hoc ipſo anno Epiſcopus in feſto S. Andreæ migravit ex hoc ſæculo, ſepultus in cathedrali Eccleſia Cizenſi, ubi ſequens accepit epitaphium.

XXXII. 1432. 1434.

Hic M, bis bina C. ter X, bis quatuor addes
Juris Doctorem ſubtraxit tumba Joannem
De Sleiniz gentium, Præſulem eximium,
Nuenburgenſem herum, clero plebi quoque gratum,
Andreæ feſto. Deus alme memor ejus eſto,
Nova foſſata conſtruxit gyro murata,
Turres, cum ponte retro fundavit & ante
Contra Huſſitas orthodoxis inimicos.

Meri-

Merito hoc epitaphium *lima egere*, ſcripſit Langius, (5) *quod a lege metrica nimis aberret atque claudicet.*

(1) Dreſſerus *p. 261.* (2) Langius *pag. 855.* (3) Idem *pag. 858.* (4) Pflugius in *Replica* apud Hortlederum *de C. B. G. lib. V. cap. XVI. pag. 1336.* (5) Langius *p. 859.*

§. XXXVI.

XXXIII. Succeſſor ejus PETRVS ex ſtirpe nobilium de Haugwitz (Dreſſerus falſo ſcribit *Haubitz* 1) Licentiatus fuit juris Pontificii, vir providus & magnanimus, ſed eloquio balbus & tremulus.(2) Hujus temporibus Huſſitæ diœceſin Ciza Numburgenſem æque ac vicinas terras miſere vexarunt, ac ferro & igne vaſtarunt. (3) Horum hoſtium formidine monaſterium virginum ad S. Stephanum in colle extra mœnia ſitum Cizæ penitus deſtruxit, & in ipſam civitatem juxta eccleſiam San-Michaelitanam tranſtulit. (4) Auxit porro calamitatem diſcordia inter Fridericum *Placidum* Electorem, & Wilhelmum fratres Saxoniæ Duces, qui mutuis bellis ſuas provincias ad incitas prope re-
1446. degerunt. (5) Anno MCCCCXLVI. Fridericus ille *Placidus* renovavit literas protectionis Eccleſiæ Numbur-
1451. genſis ad annos XXIV. Anno autem MCCCCLI. Wilhelmus Dux Saxoniæ cum Petro Epiſcopo fœdus iniit, promittens protectionem Eccleſiæ Numburgenſi æ-
1452. que ac ſubditis ſuis. Anno MCCCCLII. pactum quoddam inter Johannem Abbatem Portenſem & Heinricum Mangoldum Canonicum, & [ut vocatur] obedientiarum S. Kiliani confirmarunt Johannes Iſenach Decanus, Eilerus de Rogehuſen ſenior, & totum Capitulum Numburgenſe. (6) Ex quo colligere licet,

Petrum

Petrum Epiſcopum tum temporis peregre abfuiſſe. Anno M CCCCLIV. Fridericus & Wilhelmus fratres poſt diutina bella in colle quodam prope Numburgum ad familiare colloquium congredientes poſtea in monaſterio Portenſi convenerunt, cum Fridericus fratri in memoriam revocaſſet verba Pſalmi CXXVII. *Non confundetur, cum loquetur inimicis ſuis in Porta.* (7) Anno MCCCCLXIII. Petrus Epiſcopus vitam cum morte commutavit, ac perinde ut anteceſſor in æde cathedrali Cizenſi humatus eſt. Epitaphium quod ibidem accepit, ita habet. 1454. 1463.

Tumba defunctos capit hæc Epiſcopos omnes
Vt patrum patres ingrediantur omnes
Æqualem ſorte, ſicut in vita quoque morte.
Hanc conſtruxit Dominus de Haugwitz nomine Petrus,
Doctor & antiſtes, Deo dante diuque ſuperſtes
Vt ſucceſſorum fieret capax orationum,
Sub CHRISTO duo C bis, M ſemel, bis ſuperaddes
XL ſeptem. Sit Deo laus & gloria Amen.

Hoc epitaphium, ut recte inquit Langius (8) *cenſuram expoſtulat acrem: nam verſiculi ejus ametri ſunt penitus & flaccidi, metrorum quidem ſpeciem præ ſe ferentes, legem artem eorundem non habentes.*

(1) Dreſſerus *p. 262.* (2) Langius *p. 859.* Dreſſerus *d. p.* (3) Langius *d. p.* Zacharias Theobaldus in *Bello Huſſitico part. II.* (4) Langius *p. 868.* (5) Langius *p. 859. ſeqq.* (5) Chron. Portenſe *p. 847.* (7) Idem Chron. ex Manlio. *pag. 148.* (8) Langius *pag. 868.*

§. XXXVII.

Petrus ille ſucceſſorem ex eadem gente Haugwicia (non *Haubicia* ut iterum eſt apud Dreſſerum) (1) na-

XXXIV. nactus eſt GEORGIUM, Cizenſem & Numburgenſem Præpoſitum, ac porro Würtzburgenſem & Mersburgenſem Canonicum. (2) Sed duodecim duntaxat dies ſedit, in ipſo quaſi Epiſcopatus limine extinctus & Cizæ tumulatus. (3)

(1) Dreſſerus *p. 262.* (2) Langius *p. 869.* Paulo aliter Albinus *p. 285.* (3) Langius *d. p.*

§. XXXVIII.

XXXV. Hinc locum fecit DITERICO III. de Burgsdorf, ſive, ut Dreſſerus habet, (1) *Buckensdorf, nobili genere in Sileſiis nato.* Hic in Academia Lipſienſi bonis literis eruditus tanta in iis incrementa cepit, ut & in Philoſophum & Jureconſultum, nec minus in Theologum evaderet doctiſſimum: ac Langius quidem eum ſalutat *utriusque juris in Lipſienſi gymnaſio Ordinarium.* (2) Fundavit ſtipendium XL. florenorum in Academia Lipſica ad alendum ſtudioſum. Tum libros nonnullos in curia Lipſienſi ad ejusdem uſus repoſuit. (3) Inter cetera ingenii ſui monumenta edidit *Repertorium in Jura Saxonum* utilisſimum. (4) Mortuus eſt anno
1466. MCCCCLXVI.

(1) Dreſſerus *p. 262.* (2) Langius *p. 869.* (3) Dreſſerus *d. p.* (4) Langius *d. p.*

§. XXXIX.

Eodem igitur anno Epiſcopali dignitate auctus,
XXXVI. & ab Epiſcopo Miſnenſi inauguratus eſt HEINRICUS Stammer, ingenua Saxonum ſtirpe ſatus, vir magni vaſtique ingenii, moribus & ſermone facetus & jucundus, ſed, quod Langius addit, *more gentis ſuæ bibaciſſimus, ſympoſia & ſpectacula plus æquo diligens.* (1) *Nihilo tamen minus & bonæ & timoratæ* eundem tradit

con-

Digitized by Google

conſcientiæ, erga Deum ejusque ſanctos devotum: quam etiam devotionem erga Boſaugienſe monaſterium oſtenderit, Abbati Thomæ centum donando aureos, quos Abbas in Numburgenſem cerevisiam annuatim tempore Quadrageſimæ in convivio a monachis conſumendam erogarit. (2) Anno MCCCCLXX. priſtinum 1470.
fœdus inter Wilhelmum Saxoniæ Ducem & Heinricum Epiſcopum ad utriusque vitam renovatum fuit. Anno MCCCCLXXII die Timothei tota civitas Num- 1472.
burgenſis conflagravit, incertum quo auctore incendii. (3) Ipſe autem Epiſcopus inter mortales eſſe deſiit anno MCCCCLXXXI. 1481.

(1) Langius *p. 870.* (2) Idem *d. p.* (3) Chron. Portenſe *p. 150,* Dreſſerus *de Germaniæ Urbibus p. 480.*

§. XL.

Qui inſecutus eſt, DITERICUS IV. ex præno- XXXVII
bili Miſniæ familia Schönbergica oriundus, doctrina, eloquentia, juſtitia, aliisque virtutibus mirifice excelluit. Juris canonici apprime erat peritus, ac cum doctis & ſapientibus ex clero viris plerumque latine ſermocinabatur. Inſuper juſtitiæ cultor fuit ſtrenuus, ac religioſi cultus promotor maxime induſtrius. Eccleſiam itaque fidei ſuæ creditam ita rexit, ut, ſi non locupletiorem, deteriorem tamen quam acceperat, nequaquam reliquerit. (1) Confirmavit literis Cizæ XVI. Decembr. an. MCCCCLXXXIII. datis donationem 1483.
duarum ſexagenarum Fraternitati Roſencrantziæ in Eccleſia San-Bartholomæana Altenburgi. Triduo poſt fundationem Conradi Trilleri Quæſtoris Altenburgenſis ſuo conſenſu probat, qua corpus CHRISTI [uti verba habent] ad ægrotos per Paſtorem, æditum

& duos chorales veſtitu debito indutas canendo ex æde S. Bartholomæi portari voluit: pro qua opera unam ſexagenam & quadraginta groſſos quotannis
1486. acciperent. (2) Anno MCCCCLXXXVI. Georgium ex Priore Erfurtenſis monaſterii San-Petrini Abbatem
1487. Portenſem conſecravit. (3) Sequenti anno XVII. Octob. Conradi Trilleri pietatem ratam habuit, qua is diebus feſtis Conceptionis, Aſſumtionis & Nativitatis Mariæ horas per & infra octavas Altenburgi in templo S. Bartholomæi celebrari voluit, aſſignata pro eo una ſexagena nova cum triginta groſſis: (4) quo eodem anno dimidia civitas Numburgenſis exuſta eſt. (5) Anno
1489. MCCCCLXXXIX. IX. Febr. laudati Trilleri donationem unius ſexagenæ novæ & quadraginta groſſorum ad Miſſam in æde D. Bartholomæi Altenburgi ſingulis ſextis feriis de paſſione Chriſti dicendam approbavit. (6) In gratiam Eccleſiæ ad S. Martinum in Kunitz a diœceſanis ſuis eleemoſynam fecit colligi. (7) Exceſſit
1492. vita in caſtro Cizenſi anno MCCCCXCII, ibique ſepultus eſt in baſilica. (8)

(1) Vid. Langius *p. 874.* (2) Paullus Martinus Sagittarius in *Splendore Familiæ Schönbergicæ p. 10.* (3) Langius *p. 876.* (4) P. M. Sagittarius *d. l.* (5) Dreſſerus *de Germaniæ Vrbibus p. 489.* (6) Sagittarius *d. l.* (7) Beierus in *Geographo Jenenſi c. X. p. 221.* (8) Sagittarius *d. l.*

§. XLI.

XXXIIX. Ex eadem nobili familia Schönbergiana ſucceſſor ei dabatur JOHANNES III. Caſparis filius, quem patruus anteceſſor, conſentiente Capitulo, Collegam regiminis [*Coadjutorem* vocant] adſciverat. Ab Erneſto Magdeburgenſi Archiepiſcopo, præſentibus Saxoniæ

niæ Ducibus, aliisque illuſtribus & nobilibus ex utroque ſexu perſonis cum magna pompa conſecratus fuit. (1) In Academia Lipſienſi per aliquot annos incubuerat literis, quibus mediocriter erat tinctus. Statura fuit procerus, corpore robuſtus, capillo candido, facie formoſa, &, ut Langius ait (2) *cunctis membris concinnus & niveus.* Sed hic ipſe corporis habitus in magnam denique obeſitatem defecit, adeoque craſſus evaſit; ut monſtro prope foret ſimilis: capite & cervice tam pingui, ut non collum, ſed maſſam quandam ſub mento habere cerneretur. (3) Laudem pudicitiæ per primos a ſuſcepto epiſcopatu annos ei abjudicat Langius, (4) ac Veneris igne peruſtum tradit, ſic tamen ut ſuccedente tempore honeſtius ſe geſſerit, ac ſingularem prudentiæ gloriam collegerit. Erat præterea mitis, benignus & placabilis, ac in curanda re familiari admodum peritus. Magnificentiam ſingularem demonſtravit in variis ædificiis, quæ in arce Cizenſi erexit. Caſtrum quoque Haynsburgenſe reparavit & munivit. (5) Molendinum inſuper novum ac ſeptem rotis inſtructum ad ripam Elyſtri verſus occidentem conſtruxit. Ad quod opus ut impenſæ ſufficerent, ab univerſo clero certam pecuniæ ſummam bis exegit: id quod concoquere nequit Langius: qui tamen, & merito quidem prædicat, quod populum tributis non gravarit, ſed, *ut bonus paſtor in ſumma pace ac tranquillitate tenuerit, antiqua libertate libere uti permittens.* Piſcinas plures & magnas parari faciens in ejuſcemodi rebus proſperos habuit ſucceſſus. Proventus igitur epiſcopales multum auxit & locupletavit, præſertim ex mineris Snebergenſibus. Cuncta pœne diœceſios

ſuæ monaſteria, præſertim Sanctimonialium in melius reformare ſtuduit, uſus in hoc ſancto opere conſilio & induſtria Nicolai Tilemanni utriusque juris Licentiati, Eccleſiæ Cizenſis Canonici ſenioris, viri optimi, & in agendis rebus cauſisque eccleſiaſticis quantumvis arduis expediendis prudentiſſimi. Laudat etiam Paulus Martinus Sagittarius in *Splendore Familiæ Schönbergicæ* hujus Epiſcopi literas ad Fridericum & Johannem Duces Saxoniæ de viſitando monaſterio Burgelenſi anno MDXV. die Lunæ poſt Aegidii ſcriptas. Anno MCCCCXCII. VII. Kl. Julii donationem altari S. Mariæ & Annæ in Eccleſia Smölnenſi factam; ſequenti anno
1439. contractum inter Capitulum B. Virginis & laniones Altenburgenſes de horum tabernis initum; & anno
1496. MCCCCXCVI. III. Octob. fundationem altaris in honorem S. Wolfgangi in Eccleſia S. Bartholomæi Altenburgi a Conrado Trillero provenientem confirmavit.
1497. Annuit quoque anno MCCCCXCVII. XV. Aprilis fundationi altaris S. Annæ in æde D. Nicolai a Bartholomæo Poſey, Poligrapho Altenburgenſi ſuſceptæ. Anno
1502. MDII. V. Jan. donationi ſeptem ſexagenarum novarum cum octo & viginti ac dimidio groſſis ad duas Miſſas ſingulis ſeptimanis in altari S. Annæ, quod in æde Bartholomæi, habendas factæ a ſenatu Altenburgenſi; &
1510. anno MDX. IV. Apr. donationi ejusdem Senatus, qua duodecim ſexagenas novas & ſeptemdecim groſſos obtulit, ut quibuvis ſeptimanis quatuor Miſſæ in altari S. Annæ celebrarentur. (6) Anno MDXIII. ſummo
1513. apparatu Archiepiſcopum Magdeburgenſem Albertum ex Marchionibus Brandenburgenſibus conſecra-
1514. vit: ac idem anno ſequenti fecit in Adolpho Principe Anhal-
Digitized by Google

Anhaltino Epiſcopo Merſeburgenſi. Anno MDXV. die 1515.
Lunæ poſt Gervaſii admiſit venditionem quatuor ſexagenarum novarum, cenſuum annuorum, in pago Tautpadel ab Henrico a Maltis Antonio Naumanno Canonico Altenburgenſi factam: & porro prati prope vicum Regis Balthaſari Sartori, Altariſtæ, Fraternitatis Roſencrantziæ in æde S. Bartholomæi a Bernhardo Gebhardo traditi. Similiter anno MDXVI. XIII. 1516.
Julii probavit inſtitutum Fraternitatis Sagittariorum viginti florenos ad tres Miſſas in altari Fabiani & Sebaſtiani canendas in æde Bartholomæi deſtinantis. (7) Ipſius auſpiciis Agenda [ut vocant] Eccleſiaſtica Numburgenſis diœceſios Baſileæ prodierunt: id quod inſignia Schönbergica Epiſcopalibus juncta & ſecundæ tituli faciei impreſſa evidenter arguunt. (8) Deceſſit Epiſcopus anno MDXVII. magno ſui relicto deſiderio, 1517.
inprimis apud populum, qui miris ipſum dilexit modis, ejusque obitum acerbius deflevit. Supra alios theſauros ac aurea argenteaque vaſa, octo aureorum millia reliquit.

(1) Langius *p. 883.* Fallit ergo nos Dreſſerus *p. 263.* qui Johanni noſtro Erneſti inaugurationem tribuit. Sed reponendum ibi eſt Alberti nomen. (2) Langius *d. p.* (3) Idem *d. p.* Dreſſerus *p. 263. Craſſus & obeſus fuit ſupra modum.* (4) Langius: *Cum rara ſit formæ & pudicitiæ concordia; nec ipſe eas concordes habere potuit, quin detrimentum pudicitiæ paſſus, Venerisque igne peruſtus, mulierum amore in primis regiminis ſui annis deperiret.* (5) Langius *d. p.* Dreſſerus *p. 263.* Reliqua fere debentur Langio. (6) P. M. Sagittarius in *Splendore Familiæ Schönbergicæ pag. 12.* (7) Idem Sagittarius *d. l.* (8) Idem *p. 13.*

§. XLII.

Qui eum excepit PHILIPPVS (memoriæ la- XXXIX.

pſus

pſus eſt Joachimi Camerarii in *Hiſtoria Vitæ Philippi Melanchthonis*, qui eum *Erneſtum* vocat:) Palatinus Rheni ac Dux Bavariæ, jam ab anteceſſore Collega (*Coadjutor*) aſſumtus, idque faventibus ac adjuvantibus Friderico *Sapiente* Electore Saxone, & fratre ejus Johanne. (1) Anno MCCCCLXXX. patre Philippo Electore
1521. natus, anno MDXIX. Friſingenſem Epiſcopatum, anno MDXXI. diploma feudale de bonis Epiſcopatus Numburgenſis a Cæſare Wormatiæ impetravit: Numburgenſem vero diœceſin valetudine impeditus per Officialem & conſiliarios gubernavit. (2) Anno MDXXII.
1522. Friderici Palatini decretum B. Luthero ejusque doctrinæ adverſum promulgavit. (3) Anno MDXXXVII.
1537. Paulus III. Pontifex concilium Romæ indixerat Mantuæ celebrandum menſeque Auguſto inchoandum. Hoc indicavit Philippus Epiſcopus Friſingenſis, Adminiſtrator Numburgenſis, univerſis & ſingulis Abbatibus, præpoſitis, Decanis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, etiam exemptis per civitatem & diœceſin Numburgenſem, adhortando & jubendo, ut hujusmodi generalis concilii ſignificationem pro debita reverentia & obedientia accipiant. (4) Anno eodem Dominica Trinitatis conventus Hallis fuit indictus, ut deliberatio inſtitueretur de articulis in futuro concilio exhibendis. Huic intereſſe voluit Philippus Petrum Abbatem Portenſem, qui tamen modis omnibus ſe excuſavit Petro Wilden, Decano ac Vicario in Zeitz. (5) Rebus humanis valedixit Philippus anno
1541. MDXLI.

(1) Dreſſerus *p. 263*. (2) Idem Dreſſerus *ibid.* Julius Pflugius in *Replica* apud Hortlederum *de Cauſis Belli Germanici lib. V.* (3) Habetur hoc ſcriptum Operum Lutheri *Tom. II. Altenburg. p. 87.* (4.5.) Chron. Portenſe *p. 236. ſeq.*

§. XLIII.

Digitized by Google

§. XLIII.

A morte Philippi ex collegii ſuffragiis ſurrogatus eſt JVLIVS, gente *Pflugius*, quæ eſt Miſnicæ nobilitatis primaria, patre natus Cæſare. Hoc eſſe factum non conſulto neque aſſentiente ſe, Johannes Fridericus Princeps Elector graviſſime queri, neque actionem eam ratam eſſe pati. (1) Atque mirabantur nonnulli, Julium ingenio excellente, doctrinaque literarum inſtructum & percultum optimis diſciplinarum artiumque ſtudiis, iis etiam ab adoleſcentia rebus gerendis exercitatum, ut non vulgarem prudentiam adeptus eſſe crederetur. Hunc igitur talem virum, & tam dubiis rebus difficilibusque & turbulentis negotiis cupiiſſe implicari, ne temporibus quidem conſideratis, quibus parendum eſſe ſapientes præcipere & neceſſitatis vim tribuere non ignoraret, erant quibus mirum videbatur, quique non poſſent, quid rei eſſet, decernere. Poſtquam autem Elector decrevit, ſe non eſſe paſſurum illo loco præſidere Julium, Numburgenſi diœceſi juſſit præfici Nicolaum Amsdorfium ex nobilitate Theologum Wittembergium cœlibem, inaugurante eundem B. Luthero, menſe Januario, manumque ei cum Luthero ſimul impoſuerunt Doctor Nicolaus Metlerus, paſtor Numburgenſis, & Wolfgangus Steinius Paſtor Weiſſenfelſenſis. Ac Lutherus quidem non multo poſt ejus rei libellum edit lingua vernacula, & Pflugio, tanquam hoſti purioris doctrinæ gregem Domini minime committendum eſſe docet. (2) Etiam Philippus Melanchthon ab Electore juſſus eſt adeſſe eo tempore, quo Amsdorfius in ſedem Numburgenſem ſolenni collocatione imponeretur XL.

pſus eſt Joachimi Camerarii in *Hiſtoria Vitæ Philippi Melanchthonis*, qui eum *Erneſtum* vocat:) Palatinus Rheni ac Dux Bavariæ, jam ab anteceſſore Collega (*Coadjutor*) aſſumtus, idque faventibus ac adjuvantibus Friderico *Sapiente* Electore Saxone, & fratre ejus Johanne. (1) Anno MCCCCLXXX. patre Philippo Electore
1521. natus, anno MDXIX. Friſingenſem Epiſcopatum, an.
MDXXI. diploma feudale de bonis Epiſcopatus Numburgenſis a Cæſare Wormatiæ impetravit: Numburgenſem vero diœceſin valetudine impeditus per Offi-
1522. cialem & conſiliarios gubernavit. (2) Anno MDXXII.
Friderici Palatini decretum B. Luthero ejusque do-
1537. ctrinæ adverſum promulgavit. (3) Anno MDXXXVII.
Paulus III. Pontifex concilium Romæ indixerat Mantuæ celebrandum menſeque Auguſto inchoandum. Hoc indicavit Philippus Epiſcopus Friſingenſis, Adminiſtrator Numburgenſis, univerſis & ſingulis Abbatibus, præpoſitis, Decanis, & aliarum Eccleſiarum Prælatis, etiam exemptis per civitatem & diœceſin Numburgenſem, adhortando & jubendo, ut hujusmodi generalis concilii ſignificationem pro debita reverentia & obedientia accipiant. (4) Anno eodem Dominica Trinitatis conventus Hallis fuit indictus, ut deliberatio inſtitueretur de articulis in futuro concilio exhibendis. Huic intereſſe voluit Philippus Petrum Abbatem Portenſem, qui tamen modis omnibus ſe excuſavit Petro Wilden, Decano ac Vicario in Zeitz. (5) Rebus humanis valedixit Philippus anno
1541. MDXLI.

(1) Dreſſerus *p. 263.* (2) Idem Dreſſerus *ibid.* Julius Pflugius in *Replica* apud Hortlederum *de Cauſis Belli Germanici lib. V.* (3) Habetur hoc ſcriptum Operum Lutheri *Tom. II. Altenburg. p. 87.* (4.5.) Chron. Portenſe *p. 236. ſeq.*

§. XLIII.

Digitized by Google

§. XLIII.

A morte Philippi ex collegii ſuffragiis ſurrogatus XL.
eſt JVLIVS, gente *Pflugius*, quæ eſt Miſnicæ nobilitatis primaria, patre natus Cæſare. Hoc eſſe factum non conſulto neque aſſentiente ſe, Johannes Fridericus Princeps Elector graviſſime queri, neque actionem eam ratam eſſe pati. (1) Atque mirabantur nonnulli, Julium ingenio excellente, doctrinaque literarum inſtructum & percultum optimis diſciplinarum artiumque ſtudiis, iis etiam ab adoleſcentia rebus gerendis exercitatum, ut non vulgarem prudentiam adeptus eſſe crederetur. Hunc igitur talem virum, & tam dubiis rebus difficilibusque & turbulentis negotiis cupiiſſe implicari, ne temporibus quidem conſideratis, quibus parendum eſſe ſapientes præcipere & neceſſitatis vim tribuere non ignoraret, erant quibus mirum videbatur, quique non poſſent, quid rei eſſet, decernere. Poſtquam autem Elector decrevit, ſe non eſſe paſſurum illo loco præſidere Julium, Numburgenſi diœceſi juſſit præfici Nicolaum Amsdorfium ex nobilitate Theologum Wittembergium cœlibem, inaugurante eundem B. Luthero, menſe Januario, manumque ei cum Luthero ſimul impoſuerunt Doctor Nicolaus Metlerus, paſtor Numburgenſis, & Wolfgangus Steinius Paſtor Weiſſenfelſenſis. Ac Lutherus quidem non multo poſt ejus rei libellum edit lingua vernacula, & Pflugio, tanquam hoſti purioris doctrinæ gregem Domini minime committendum eſſe docet. (2) Etiam Philippus Melanchthon ab Electore juſſus eſt adeſſe eo tempore, quo Amsdorfius in ſedem Numburgenſem ſolenni collocatione impone-

retur. Qui ideo ſine recuſatione ſuſcepit iter illud, ut Eccleſiaſticæ ac Scholaſticæ adminiſtrationis diligentius conſtituendæ vel auctor vel adjutor eſſet. Quo in neque contra dignitatem & amplitudinem Julii, quo cum ſingularis Philippo intercedebat uſus, quicquam facere putabat. At Pflugius ad hunc modum repudiatus, emiſſis libellis ad ordines Imperii conſilii ſui rationes exponit, jus ſuum demonſtrat, & de injuria queritur, cumque poſſeſſionem adipiſci non poſſet, tamen dignitatem nominis retinebat. Contra Elector reſpondet, & prolixe de ſuo Saxonicæque domus jure locutus, & multis ex vetuſtate repetitis, inter alias cauſas, cur eum ferre non poſſet Epiſcopum, hanc etiam adducit, quod Auguſtanæ Confeſſioni palam adverſetur. (3) Et vero in colloquio Ratisbonenſi non ita pridem celebrato Julius inter collocutores partis Pontificiæ egerat. (4) Ceterum hæc actio inprimis Caroli V. animum jam ante exulceratum magis adverſus Saxoniæ Electorem accendit, ac Julium de vi & injuria in Spirenſibus comitiis querentem ad exigui tempori patientiam hortatus dixiſſe fertur: *Tua cauſa erit mea:* vixitque poſt illa in aula Caroli V. tanquam in exilio, honeſte tamen & liberaliter habitus. Ipſe quoque Mauritius Dux Saxoniæ Pflugii cauſam probat, & alieniore animo ab Electore eſſe incipit. Sic igitur hæc ipſa Julii rejectio inter belli Smalcaldici cauſas numerari meruit, (5) quo a Cæſare feliciter confecto Julius Epiſcopatu Numburgenſi poſtlimi-
1547. nio potitus eſt anno MDXLVII. per Auguſtum Saxonem Mauritii fratrem & Petrum de Columna, qui cum quatuor & viginti ſignis peditum, ac ſeptem turmis equi-

equitum ad reſtituendum priſtinæ ſedi Julium a Cæſa-
re Numburgum mittebantur. Et ab eo tempore Ju-
lius annis prope octodecim Epiſcopatum tranquille
rexit, & conſiliorum plerorumque omnium de reli-
gione ſuſceptorum conſcius, nonnullorum auctor
fuit. Sane anno ſequenti MDXLVIII. quo & Mauritius 1548.
Elector a Julio inveſtituram feudorum ſuperius dicto-
rum petiit, inter præcipuos libri illius juſſu Caroli
Cæſaris confecti architectos fuit, quo præſcribebatur,
quid interim, dum decreta Concilii Pontificii prodi-
rent, fieri ſervarique oporteret, ab iis quidem, qui in
doctrina Eccleſiæ & ritibus uſitatis aliquid innovaſ-
ſent. Vnde liber ille quaſi tituli nomine eſt vocatus
Interim. Et dedit facetis multa ſalſe dicendi occaſio-
nem: cum quidem neutri parti placeret, & utrique
etſi non eodem modo atque propoſito eum repudia-
rent. (6) Anno MDLV. Numburgi conventum fuit de 1555.
fœderibus hereditariis familiæ Saxonicæ, Branden-
burgicæ & Heſſicæ. (7) Anno MDLVII. Julius noſter 1557.
præſes colloquii fuit, quod Wormaciæ inſtitutum eſt
inter Theologos Pontificios & Evangelicos de con-
troverſiis Eccleſiaſticis, ſed per ipſius Julii artes abru-
ptum. (8) Obiit noſter Pflugius anno MDLXIV. an- 1564
num agens quintum & ſexageſimum, Cizæque hu-
matus eſt. (9)

(1) Videantur Sleidanus *lib. XIV.* Joach. Camerarius in *Vita Philippi Melanchthonis pag. 200. ſeqq.* David Chytræus *Saxoniæ lib. XV. pag. 395.* Matthæus Dreſſerus *Iſagog. Hiſtor. parte IV. p. 263. ſeqq.* & *de Germaniæ Vrbibus p. 489. ſeq.* Lucas Oſiander *Hiſtor. Eccleſ. cent. XVI. lib. II. cap. 46. pag. 338.* (2) Exſtat hoc ſcriptum B. Lutheri tom. VIII. Germ. Jenenſi & tom. IIX. Altenburg *p. 1. ſeqq.* (3) Tam Julii, quam Elect. Joh. Friderici ſcripta ad-

verſaria recuſa ſunt in Opere Hortlederiano *de Cauſis Belli Germanici lib. V. cap. XIV. & ſeqq.* (4) Sleidanus *lib. XIV.* (5) Camerarius *in Vita Philippi pag. 242.* & in *Hiſtoria Belli Smalcaldici Græca Tom. III. Freberi pag. 394.* (6) Sleidanus *lib. XX.* Camerarius *in Vita Philippi pag. 274.* Chytræus *lib. XVI. pag. 429.* Thuanus *lib. IV.* Oſiander *cent. XVI. lib. II. c. LXVIII.* P. Suavis *Hiſtor. Concilii Tridentini lib. III. pag. 260.* Dreſſerus *Iſagog. Millen. VI. pag. 85.* (7) Camerarius in *Annotationibus rerum præcipuarum ab anno 1550. Tom. III. Freberi p. 479.* Dreſſerus *millen. VI. pag. 92.* Limnæus *Juriſpubl. lib. III. cap. X. & Tom. IV. Addit. ad lib. IV. c. IV.* (8) De hoc Wormacienſi Colloquio vide Phil. Melanchthonis *Epiſtolar. lib. III.* a Pezelio editum *pag. 24. ſeq.* Camerarium in *vita Philippi pag. 362. ſeqq.* & in laudatis *Annotationibus pag. 492.* Chytræum *lib. XIX. pag. 495.* P. Suavem *lib. V. pag. 368.* Dreſſerum *millen. VI. pag. 89.* Oſiandrum *cent. XVI. lib. III. cap. 28.* Joh. Schilterum aureo opere *de Libertate Eccleſiæ Germanicæ lib. VII. cap. II.* (9) Dreſſerus *millen. VI. part. II. pag. 265.* Vide porro, quæ de Julii noſtri familia nobili, parentibus, patria, eruditione dignitate, auctoritate, vita denique tota collegerunt Petrus Albinus in *Chronico Miſnenſi tit. XXV.* Cyriacus Spangenbergius *Speculi Nobilitatis part. II. c. XI.* Georgius Fabricius *Rerum Saxonicar. lib. II.* Laurentius Peccenſtein *Theatri Saxonici cap. X.* Ejusdem Oratio de *Republ. Germaniæ ſeu Imperio conſtituendo* ſemel atque iterum in Germania typis recuſa, denique in Melch. Goldaſti Opus *Politicorum Imperialium* recepta eſt.

§. XLIV.

XLI. Poſt Pflugii obitum adminiſtratio Epiſcopatus delata ALEXANDRO Auguſti Electoris filio: ſed
1565. hoc Principe anno ſequente quinto & ſexageſimo præmatura morte ſublato, Capitulum tradidit admi-
XLII. niſtrationem Epiſcopatus AVGVSTO Patri & ejus here-

Digitized by Google

heredibus maſculis ad annos XXI. a feſto ſcilicet S. Michaelis anni laudati usque ad idem feſtum anni MDLXXXVI. Hinc igitur utriusque Electoris Saxonici & Brandenburgici imperio ſubjectorum Epiſcoporum reditus deinceps in Principum fiſcos redacti ſunt: corporibus tamen collegiorum conſervatis, & inſpectione Eccleſiaſtica Superintendenti & Conſiſtoriis commendata. (1)

(1) Chytræus Saxon. *lib. XXI. pag. 552.*

§. XLV.

Patrem ſecutus eſt CHRISTIANVS I. Elector, eundemque AVGVSTVS filius, qui habitu corporis infirmiori anno MDCXV. mortuus, nulla ex Eliſabetha Brunſwicenſi ſobole ſuſcepta. XLIII. XLIV. 1615.

§. XLVI.

Auguſto ſucceſſit JOHANNES GEORGIVS I. Elector a quo anno MDCXXVIII. perinde ac alia bona Eccleſiaſtica Numburgenſis Epiſcopatus per edictum Cæſareum repetebantur: ſed per Pragenſem pacem anno MDCXXXVI. concluſam in annos quadraginta relictus. Id quod poſt pacem Weſtphalicam fuit mutatum. XLV. 1628. 1636.

§. XLVII.

Patrem anno MDCLVI. vita functum in hac adminiſtratione excepit MAVRITIUS filiorum minimus, qui pietatis, prudentiæ & multæ virtutis laude inſignis, Numburgi aliquandiu habitavit, donec quam cœperat Cizæ, Moritzburgum eſſet conditum. 1656. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVIII.

Hujus obitum, qui ſuperiori anno contigit boni omnes acerbe deplorarunt; ac id feciſſent magis, niſi ſucceſſorem reliquiſſet MAVRITIVM
XLVII. WILHELMVM, paternarum avitarumque virtutum non modo æmulum, ſed reconditam doctrinam, itemque humanitatem ſingularem digniſſimum, qui AMOR AC DELICIVM GENERIS HVMANI nominetur.

COROLLARIA.

DE *SIZZONE* COMITE KEFERNBERGICO CVIVS STATVA VISITVR IN CATHEDRALI ECCLESIA NVMBVRGENSI.

I.

NVmburgi in æde cathedrali plures conſpiciuntur ſtatuæ, quarum una grandævum repræſentat virum, ſiniſtra manu clypeum præferentem. In area clypei flavus depictus eſt leo, cum inſcriptione in margige clypei dextro:

SIZZO COMES DO.

II.

Quis ille fuerit Sizzo Comes, & quid extrema

Digitized by Google

trema ſibi velit ſyllaba, ac cur ejus ſtatua Numburgi collocata, in diſceptationem venit.

III.

Vt paucis rem expediamus, Sizzo ille Comes fuit Kefernbergicus: qui Comitatus quoniam in Doringia fuit ſitus, *Comes Do*, hoc eſt, *Doringiæ* ſalutatur: eique ob id dicata hæc eſt ſtatua, quod inter conditores & benefactores præcipuos cathedralis Eccleſiæ locum habuerit.

IV.

Sizzonis vocabulum contractum eſt ex *Sigehardi*, *Sindigeri* vel *Sindrammi* Nomine. Quemadmodum enim veteres ex Adolfo *Alſonem*, ex Bernhardo *Bennonem*, ex Burchardo *Bucconem*, ex Conrado *Cunonem*, ex Godefrido *Godeconem*; ſic ex Sigehardo & ceteris fecerunt *Siſonem*, *Sizzonem* vel *Sinzonem*.

V.

Sizzonem Kefernbergenſem Comitem ad conſtruendam Eccleſiam cathedralem Numbergenſem multum contuliſſe, multorum non modo conjecturis, verum etiam Pauli Langii teſtimonio confirmatur, quod in *Chro-*

Digitized by Google

Chronico Citizenſi ita habet: *Sighardum Comitem de Kerſſesberg* (legendum procul dubio *Keſ-ſersberg*) *in vetuſto monaſterii volumine Jorgenthal quodam fundatorem Eccleſiæ fuiſſe Numburgenſis me legiſſe memini.*

VI.

Neque mirum eſt, in libro quodam Jorgenthalico id reperiſſe Langium; ſiquidem hoc ipſum monaſterium Georgenthal origines ſuas debet Sizzoni Kefernbergenſi Comiti. Qua de re videatur Levoldus a Northof in *Originibus Marcanis* ab Henrico Meibomio editis.

VII.

Thuringiam olim *Thoringiam* & *Doringiam* & Thuringos *Thoringos* & *Doringos* eſſe dictos, certum eſt. Vnde autem *Doringiæ Doringiorumque* nomen fuerit natum, alibi commonſtrabitur.

F I N I S.

Digitized by Google